3579

IONALE
VITT. EMANUELE
OMA
55
) K
21

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

49
B
32

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AUGUSTINIANA
DE RERUM CREATIONE
SENTENTIA

EX

PLURIBUS DISCEPTATIONIBUS HABITIS
IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO
ANNO M.DCCXIII.

A Fr. HYACINTHO TONTI
ANCONITANO
Ordinis Eremitar. S. P. AUGUSTINI,

Publico Sacrarum Scripturarum Interprete,
Depromta,

Et Studioſorum Auguſtinenſium uſui accommodata.

Sicut ergo noſti in principio cælum & terram ſine varietate notitiæ tuæ, ita feciſti in principio cælum & terram ſine diſtinctione actionis tuæ. Qui intelligit, confiteatur Tibi; & qui non intelligit, confiteatur Tibi.
Auguſt. Conf. lib. 12. cap. 31.

PATAVII, M.DCCXIV.
Apud Joſephum Corona.
SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVIL.

Digitized by Google

MAGNE PATER AUGUSTINE.

OPerum planè omnium, quæ hactenus elucubrata eſt univerſa ſtudioſorum reſpublica, nullum exſtare puto, quod magis impensè grande aliquod patrocinium efflagitet, quàm hoc, quod recens modò Tuo Nomini nuncupo, Numini tuo commendo, Doctorum Maxime, Divorum glorioſiſſime. hoc ſiquidem ſententiæ illius cauſſam agit defenditque, quæ etiam tradita abs Te, præcelſo Chriſtianorum Magiſtro, non ſolùm oppugnationibus, verùm etiam irriſionibus impetita fuit.

Digitized by Google

Ego ipſe, ſummis veluti labiis delibans olim uberrimas doctrinas Tuas, non è fonte quidem, ſed ab rivulis quibuſdam nimis infeliciter hauriens, illam, tanquam feraciſſimi ingenii Tui fetum ſuſpexi; judicavique admiratione dignam, reputans ingenioſam; ſed non item imitatione, haud arbitrans veram. Damnabam equidem & ipſe furentem audaciam multorum, qui prorſus illiberaliter eandem, vel ut erroneam, vellicabant; vel, ut futilem, irridebant: ſed non propterea adjiciebam animum, quo enixiùs proſequerer, ut veram: ſupercilium quidem exhibens cauſſa admirandi Auctorem, calamum tamen cohibens a ſtudio amplectendi ſententiam. Verùm nunc, o Parens optime, o Magiſter Maxime, quandoquidem inſtituti mei ratio coegit me, ut libros Tuos *De Geneſi ad litteram* maturiori & faciliori animo pervolverem expenderemque, intellexi probè, Te eximium Eccleſiæ lumen, ſententias, quæ, vel a ſanctitate Legis non eſſent piæ, vel a certitudine Fidei non eſſent veræ, nunquam edidiſſe. Quum enim hoc anno ſacram Geneſeos hiſtoriam, a Moſe conſcriptam, eſſem explicaturus; perſpicueremque, Divinam Illius elocutionem, cùm ob humilitatem ſermonis, tùm ob myſteriorum

ſubli-

ſublimitatem, a Philoſophis gentium ſannis ſceleſtiſſimis deſpici, atque impudentiſſimè exſibilari; continuò animo exarſi, decrevique, conſulere Libros Tuos, Tuam indidem opem ſeriò exploraturus. At enim primo intuitu, præ celſitudine arcanæ doctrinæ tuæ, imbecillitas mea prorſus defecit: veruntamen, per auguſtiſſima merita Tua, acrioris intelligentiæ ſpiritu & facultate cœlitus imploratis, clarè cognovi, egregiam illam de rerum creatione ſententiam pietatis veritatiſque plurimum præſeferre: pietatis quidem, quia dignitatem ſcripturarum ſanctarum ab irriſione gentium maximè vindicat; veritatis autem, quia Verbo Dei maximè nititur, aſſeriturque. Idque in cauſſa fuit, cur ego in hoc Archigymnaſio Patavino nuperis hiſce diebus, ut veram, defenderim, quam antea, ut ſublimem tantùm, ſuſpexeram. Hanc demum, quam pro ſuggeſtu ediſſerueram, ab hoſte Nominis Tui ſubjicere prælo compellor. Joannes Clericus Romano-catholicæ Fidei contemtor immitiſſimus, ſpecioſiſſimum Ejus ſplendorem ſuo præcipuo in lumine obtegere anhelans, in cuncta opera Tua ſuas illas miſeras animadverſiones congeſſit, quibus, ſicut reliquos libros Tuos, ita & eos, quos *de*

Gen ſi

Geneſi ad litteram inſcripſiſti, impudentiſſimè irridet atque contemnit. Porro, ut effræni illius procacitati hac ſaltem in parte, Tibi ceterarum omnium graviſſima, quantum potis eſſem, obſiſterem; utque ludibriorum illorum, quæ jam innotuere per ipſum; per me, qualiſcumque tandem ea ſit, aliqua innoteſceret oppugnatio, opuſculum hoc meum facili animo committere typis decrevi. Haud equidem inficior, nihil hìc a me uſpiam proponi, quod jam pridem abs Te propoſitum præpoſitumve non ſit: veruntamen, quia in illa Tua, non æquè omnibus pervia, ſublimitate dicendi, imbecillioris animi vires excedis; experiri non inutile opus eſſe duxi, utrum ſorte humilioris eloquii poſſet obvenire, ut Joannes Clericus, & ſi qui ſunt alii ejus farinæ viri, ſub hujuſce Diſſertationis velamine perſpicere poſſent, quod hactenus in Doctrinarum Tuarum lumine perſpicere non potuerunt. Hæc votorum meorum ratio, hæc ſumma fuit; nimirum, ut daretur mihi optio aperiendi commendabilem omnibus ſententiam Tuam, quemadmodum Tibi datum eſt venerandam cunctis oſtendere Divinam ſcripturam. Qua in cauſſa Tu ſententiam illam elegiſti, quæ Verbum Dei ab ludibrio & irriſione

riſione gentium magis invictè defendit, nihili pendens, in Te unum deinceps obſtrepere linguas illas, quæ in Divinas litteras obſtrepuerunt. Patere igitur, me quoque eo ſtudio ardere in cauſſa Tua, quo Tu in cauſſa Moſis arſiſti, Zelator Fidei; atque iccirco in me unum deinceps exaſperare linguas illas, quas olim in Te unum exaſperavit impietas. uberrima mihi laus erit, ea omnia, a quibus vindico ſententiam Tuam, convicia pati; ſicut Tu irriſiones illas omnes patiebaris, a quibus Divinam ſcripturam vindicaviſti. Ne igitur muneratorem & munus deſpicias, quæſo Te, o Parens optime: non illum, quia Tui Cordis eſt filius; non iſtud, quia eſt Tuæ Mentis ſententia. Sed impetra a maximo omnium bonorum largitore Deo, ut, ſicut munus præſefert Tuæ Mentis Doctrinam; ita munerator Cordis Tui ſanctitatem imitetur.

NOI

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbazione del P. Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato: *Auguſtiniana de rerum Creatione Sententia, ex pluribus Diſſertationibus habitis in Archigymnaſio Patavino Anno 1713. per Fr. Hyacinthum Tonti Anconitanum Ord. Erem. S. Auguſt.* non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à Giuſeppe Corona Stampatore in Padova che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in Materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa. Dat. 17. Marzo 1714.

(Carlo Ruzini Kav. Proc. Reff.
(Franceſco Loredan Kav. Proc. Reff.
(Alviſe Piſani Kav. Proc. Reff.

Agoſtino Gadaldini Secret.

AU-

AUGUSTINIANA
DE RERUM CREATIONE
SENTENTIA:

CAPUT I.

I. Liber Geneſeos propter graviſſimas, quas continet, difficultates ab infidelibus irridetur. II. A Manichæis abjicitur. III. A Philoſophis gentium ſuggillatur. IV. Ab recentioribus Atheis exploditur. V. Et demum ab Orthodoxorum nonnullis impudenter deſpicitur.

I. Liber Geneſeos, quem de creatione rerum conſcripſit divinus propheta Moſes; quique ſpecie tenus non aliud præſeferre videtur, niſi exploratiſſimam ſimpliciſſimamque rerum geſtarum expoſitionem; tot tantiſque operoſiſſimis graviſſimiſque occulitur difficultatibus, ut non abs re, quod de Verbi generatione dictum eſt, de Mundi creatione repeti poſſit: Creationem *ejus quis enarrabit?* Sacram iſtam hiſtoriam nefariè olim deſpexerunt, & etiamnum deſpiciunt hoſtes iniquiſſimi Fidei noſtræ; eoque carentes ſancto animorum affectu, quo piæ mentes rediguntur in Revelantis obſequium; eandem cachinnis excipiunt, ac veluti rudem, ineptam, minimèque cohærentem ſibi, per ſummum nefas ejiciunt, explodunt, averſanturque.

 II. Pri-

De Gen. ad lit. imperf. ca. 4. Gen. 1. 2.

II. Prima improborum calumnia, Auguſtino teſte, deſæviit contra illa Divini oraculi verba „ *Terra autem erat inanis & vacua* „ argutabantur enim: qui fieri poteſt, Deum in principio terram creaſſe, ſi jam terra erat? num terram creavit, & non creavit Deus? quid iſtud monſtri eſt? ſi Moſi fides adhibenda ſit, quum ſcripſerit „ *In principio creavit Deus cœlum & terram*, „ terram quidem creavit Deus. Sed terram rurſum non creavit Deus, quum adjecerit „ *Terra autem erat* „ Hiſce olim ineptiis Sacrarum Scripturarum dignitatem impetere auſi ſunt Manichæi. & ſupinæ ignorantiæ tenebris obvoluti, quum legerent; vel, *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas;* vel, *& vidit Deus lucem, quòd eſſet bona;* vel demum, *& factum eſt veſpere & mane dies unus:* quid? ita ineptiebant audaciſſimi contemtores; ergone, antequam lucem faceret, erat in tenebris Deus? & aqua erat habitaculum Spiritus Dei? & non noverat Deus lucem, vel bonam non noverat? ecquis tandem primus dies ille fuit, qui initium ſui accepit a veſpera? Legebant „ *Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum; & appareat arida*. percunctabantur continuò: ſi totum aquis erat plenum, quomodo poterant aquæ congregari in unum? legebant „ *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præeſſet diei: & luminare minus, ut præeſſet nocti: & ſtellas*. reponebant illico: ſi quarta die creata ſunt luminaria cœli; qui ſinè acceſſu ſolis agi potuerunt ſuperiores dies, & ſinè ſolis receſſu quì diſtingui potuerunt ſuperiores noctes? legebant „ *& ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos*. è veſtigio urgebant: itane priores tres illi dies non pertinebant ad tempus? ſinè tempore confici potuerunt? Alias quàm plurimas id genus ineptias, & dira convicia in Sacram geneſeos hiſtoriam blateraverunt homines impudentiſſimi, quæ latè recenſet, & invictiſſimè eludit Auguſtinus.

III. Manichæis jandudum præiverant Philoſophi gentium; qui Moſis de creatione rerum hiſtoriam, non

ſecus

ſecus atque anilem fabulam, & ſpecioſum Poetarum commentum penitus rejecerunt. Quum enim ſcripſiſſet Moſes, terram jam fuiſſe inanem, & vacuam, & tenebras ſuper faciem abyſſi, quum nondum lux, firmamentum, ſive aliud quidpiam produceretur, recolebant mente veterem illam confuſam, indigeſtamque rerum congeriem, antiquum illud chaos, omnigenam informemque molem, quam, tanquam a lepidis hominibus primùm excogitatam, ſuperciliosè contemſit & exſibilavit univerſa Philoſophorum veterum cohors. Quos inter, ſi qui fuerunt, qui antiquam illam de exordio Mundi Sententiam hominibus rurſum ingererent; ii quidem ab Ariſtotele, ut teſtatur Carthuſianus, ſatis reprobati fuerunt. *D. Dionyſ. Carthuſ. in Gen. ar. 6.*

IV. Sed, quod profuſas lacrymas exſerit, & dolore pœne conficit, eſt: ætate quoque noſtra infedeles eſſe quàm plurimos, qui cum ſcripturis ſanctis, ac præcipuè cum hiſtoria Geneſeos petulanter manus conferant, & perduelles Verbo Dei fœdas calumnias, & ſceleſtas ſubſannationes ingeminent. Quippe vidimus non ita pridem in M. S. Opere nobiliſſimi & eruditiſſimi viri Laurentii Magalotti quàm iniquo molimine recentiores Athei libros Moſis enitantur diſcerpere, auctoritatem extrudere, dignitatemque convellere: quos vir clariſſimus tanto rationum pondere & majeſtate refellit, quantum explicari pro eximiæ laudis ſublimitate non poteſt. Comminiſcuntur tenebriones inſaniſſimi, divinam Moſis hiſtoriam, hiulcam, mutilam, rudem, ineptam vaniſſimi hominis fabulam eſſe, innumeris rerum geſtarum monſtris refertiſſimam, per ſummam fraudem Divinæ auctoritatis fuco orbi terrarum objectam, atque obtruſam. quamobrem illam calumniis, & contumeliis immaniſſimis ſic affectam, ſuggillant, reſpuunt, exſecrantur.

V. Verùm enimvero, quod abſque ingenti animi mœrore referre non poſſumus, illud ſanè eſt, orthodoxorum etiam nonnullos reperiri, qui humanæ philoſophiæ ſtudiis abrepti, nefariè ſacram geneſim au-

dire detrectant; eoſque, qui, ſe divina auctoritate niti gloriantur, irrident; quaſi (ut ipſi ſua quadam celebri ineptaque parœmia dicunt) deſperatis rebus ad Eccleſiæ aſilum confugiant. vel ſi demum apparenti quadam pietate coacti ſcripturas audiant, irridentes audiunt; & ſemel atque iterum perſpicua aliqua earundem auctoritate vexati; confeſtim hariolantur: ſcripturaſque loqui ſecundum id dumtaxat, quod ſenſibus noſtris apparet, putant. Innumera vero ſunt, quæ iſti ad aſſerendas ediſſerendaſque eas, quas nuperas vocant philoſophias, contra ſimpliciſſimam ſcripturarum litteram produnt. Nec audiunt reclamantem Auguſtinum, „ *Reſpondendum eſt hominibus, qui calumniari libris noſtræ ſalutis affectant: ut quicquid ipſi de natura rerum veracibus documentis demonſtrare potuerint, oſtendamus noſtris litteris non eſſe contrarium: quicquid autem de quibuslibet ſuis voluminibus his noſtris litteris, id eſt, Catholicæ Fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate oſtendamus, aut nulla dubitatione credamus eſſe falſiſſimum. atque ita teneamus Mediatorem noſtrum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ atque ſcientiæ abſconditi, ut neque falſæ philoſophiæ loquacitate ſeducamur, neque falſæ religionis ſuperſtitione terreamur.* Itaque ſapientiſſimus Orbis Magiſter, ea dumtaxat philoſophicis momentis redargui poſſe concedit, quæ ſuperſtitione ſimulatæ religionis oſtenduntur: ea tamen, quæ nobis a ſimplicitate litteræ proponuntur, ne ad vanos ſenſus torqueamus falſa philoſophiæ loquacitate ſeducti, impensè nos admonet, & planè ab *loquacitate philoſophiæ* nos conſultò abſterruit: iſtud namque philoſophorum genus, non rationum pondere, ſed vaniloquentia verborum plerumque nititur. &, quod in inſtituti operis cauſſa eſt, innumera ſunt quæ refractario animo & pertinaci in diviniſſimum Moſem commenta congerunt. Utque quàmplurima, quæ in medium proferri poſſent, omittam, ſi in primo (inquiunt hominum impudentiſſimi) cujuſque diei momento opus ſuum fecit perfecitque Deus; quid nam in reliquis dierum ſpatiis

Auguſt. lib. 1. de Gen. ad li. cap. 21.

num-

numquam otioſus operabatur Omnipotens? in illo intervallo diei, quod creationem lucis a Firmamenti creatione diremit, quidnam peragebat? num, ut lucem vocaret diem, eandemque bonam eſſe cognoſceret, ac divideret demum a tenebris, integrum exhauſit diem? Id genus convicia non infideles modò, ſed fideles etiam nonnulli in ſacrum Pentateuchum Moſis (proh ætatis hujuſce noſtræ dedecus!) ſimplicibus contendunt obſtrudere. quapropter, ne Verbum Dei *opprobrium & ſubſannatio* fieret amicis inimiciſque noſtris; neceſſum erat exſurgere in Eccleſia ſancta Dei, qui, præcipua Divini largitoris ope munitus, ſacram hiſtoriæ Geneſeos auctoritatem defenderet; ejuſdemque veritate ſarta tectaque ſervata, ab infidelium ceterorumque malè feriatorum hominum irriſionibus vindicaret. Id præſtiterunt quamplures Eccleſiæ Patres: id ipſum Magiſter optimus præſtitit Auguſtinus. Num vero is feliciùs, & fortiùs egregiam iſtam pro dignitate ſcripturarum ſanctarum navaverit operam, in progreſſu hujus qualiſcumque noſtræ Diſſertationis perſpicuum fiet. Et quia ad omnes iſtius modi irriſiones contumeliaſque *penitus* extrudendas, plurimùm valet Auguſtiniana de ſimultanea rerum creatione ſententia, hanc enixè enucleare, aſſerere, vindicare, univerſum erit præſentis hujus operis inſtitutum.

CA-

CAPUT II.

I. Prima de rerum primordiis explicatio proponitur. II. Altera item exhibetur. III. Pro hac Philonem fuiſſe aſſeritur. IV. Clementem Alexandrinum. V. Ambroſium. V. Diſertiſſimè omnium Auguſtinum. VI. Poſtremò eandem cum antiquos, tum recentiores quamplures vel ſequutos fuiſſe, vel commendaſſe.

I. Quæ igitur ſunt præcipuæ primi capitis libri Geneſeos explicationes, in quo ſex creationis dies recenſentur a Moſe: prima eſt aſſerentium Deum per ſex diſcreta intervalla dierum ea omnia produxiſſe, quæ enarrat Moſes; ita tamen ut priores tres dies, qui ſolis creationem anteceſſerunt, ex luce, quam primigeniam vocant, fuerint abſoluti; poſteriores autem, qui eandem ſolis creationem ſunt ſubſequuti, cum ſole ipſo fuerint conſtituti. hanc ſententiam communiter ſequuntur recentiores, ſatis infirma opinatione ſuaſi, ſuffragari eidem univerſum Eccleſiaſticorum Patrum ac Doctorum cœtum. præ ceteris laudant Bedam in Hexameron, Hugonem de Sancto Victore in 1. lib. de Sacram. Rupertum in 1. lib. de operibus Trinitatis cap. 37. & in lib. 2. cap. 18. Mag. Sent. in lib. 2. diſt. 12. D. Bonaventuram ibidem, & Gregorium Magnum lib. 32. Moral. cap. 10. in cujus verbis gloriantur ſummopere, ac prope delicias faciunt. hiſce omnibus D. Thomam adjicit P. Pererius, quem in 1. p. q. 74. art. 2. huic ſententiæ probè adhæſiſſe contendit.

II. Altera explicatio eſt eorum, qui ajunt, unico ſuæ voluntatis imperio, unico ſuæ omnipotentiæ verbo, cuncta produxiſſe Deum: Moſem verò, pro rudi Ebræorum captu impotem omnia enarrandi ſimul, ita hiſtoricam ſuam narrationem contexuiſſe, perinde ac ſi omnia diverſa Dierum mora creata fuiſſent; atque

omnia

omnia item ad ſenarium dierum numerum propter abſolutiſſimam ejuſdem numeri perfectionem redegiſſe.

III. Hæc ſententia neutiquam ab Auguſtino primùm inventa & excogitata fuit, quemadmodum adverſariorum plerique perperam opinantur. nam Philo Judæus, qui ineunte primo Eccleſiæ ſæculo, Apoſtolorum ætate, floruit, hanc ipſam diſertiſſimè docuit: immo altiùs hiſce verbis adverſariis inſonuit „ *Ruſticanæ ſimplicitatis eſt putare ſex diebus, aut utique certo tempore mundum conditum.* ex quibus apertè colligitur, non ſolum Philonem, verùm etiam reliquos omnes illius ætatis ſapientes eam ſententiam, quam maximè omnium Auguſtinus illuſtravit, jam tum proſequutos fuiſſe: alioquin non adeo imperterritè aſſeveraſſet Philo, ruſticanæ ſimplicitati adtribui debere opinionem eorum, qui putant certo tempore mundum conditum fuiſſe. adde, quod eò loci duplici ratione eam ſententiam muniens Philo nullum adverſum diluit argumentum; unde exploratiſſimum fit, nullum tunc temporis magni nominis vixiſſe doctorem, qui de rerum creatione diverſa ſentiret. Neque flocci facienda eſt, & minimo habenda loco Philonis opinio, quem tanti fecerit V. C. Abbas Tritemius, ut de eo ſcripſerit „ *Philo Judæus natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum, a Beato Hieronymo inter Scriptores Eccleſiaſticos iccirco ponitur; quoniam in ſuis opuſculis plerumque in Chriſtianorum laude verſatur. hic, quum ſuæ gentis Legatus Romam miſſus eſſet, amicitiam Beati Petri habuiſſe memoratur; & ob hanc cauſſam etiam Sancti Marci diſcipulos, & ſectatores laudibus ornavit ſuis. Erat autem vir undecumque doctiſſimus, & velut alter Plato habitus, ita ut vulgo diceretur: aut Plato Philonem, aut Philo imitatur Platonem; tanta enim fertur ſimilitudo ſenſuum, & eloquii amborum.*

Jo. Tritemius de Script. Eccleſiaſt.

IV. Ejuſdem Alexandrinæ urbis ornamentum & decus ſingulare, altero deinceps ſæculo, floruit Divus Clemens, Pontini martyris diſcipulus præclariſſimus. hic aurea illa ætate, qua admodum recens vigebat Apoſto-

poſtolicæ doctrinæ Traditio, Mundum non in ulla temporis mora creatum fuiſſe luculenter edocuit; etenim in libro 6. Stromatùm ſcripſit „Ut ergo diſcamus mundum eſſe genitum, non autem in tempore facere Deum exiſtimemus; ſubjunxit Prophetia: hic eſt liber generationis, & eorum quæ ſunt in ipſis, quando facta ſunt, quo die fecit Deus cœlum & terram. illud enim quando facta ſunt enunciationem ſignificat indefinitam, & expertem temporis. hiſce verbis manifeſtiſſimè oſtendit, ſe ei prorſus adſtipulari ſententiæ, quæ docet in *indefinita* temporis mora, hoc eſt, in indiviſibili momento temporis creaturam univerſam fuiſſe productam.

Clem. Alexan lib. 6 Strom. Gěntiano Herveto Aureliano Interprete.

V. Divus item Ambroſius, qui Auguſtinum parentem optimum ſalutifero chriſtiani fontis latice regeneravit Eccleſiæ, in Hexameron lib. 1. cap. 3. Auguſtinianam de rerum creatione ſententiam haud dubiè illis verbis prædocuit „ *Et pulchrè addidit de celeritate conditionis, fecit; ne mora in faciendo fuiſſe æſtimaretur: ut vel ſic intelligerent homines, quàm incomprehenſibilis operator eſſet, qui tantum opus brevi exiguoque momento ſuæ operationis abſolveret, ut voluntatis effectus ſenſum temporis præveniret. nemo operantem vidit; ſed agnovit operatum. ubi igitur mora, quum legatur: quia Ipſe dixit, & facta ſunt; mandavit, & creata ſunt? Nec artis igitur uſum, nec virtutis expendit, qui momento ſuæ voluntatis majeſtatem tantæ operationis implevit; ut quæ non erant, eſſe faceret tam velociter, ut neque voluntas operationi præcurreret, neque operatio voluntati. Miraris opus; quæris operatorem: quis principium tanti operis dederit, quis tam citò fecerit, ſubjecit ſtatim dicens: quia Deus fecit Cœlum & Terram.* Neque dicendum eſt, eò loci D. Ambroſium de Cœlo dumtaxat atque de Terra loqui, non item de eorundem ornatu; etenim in ſeptimo ejuſdem libri capite quærit „ *Cur Deus, quum res fecit; non ſimul ornatus illis congruos donaverit?* non, inquam, illud dicendum eſt; quum enim Sanctus Doctor propoſitum dubium ſolveret, non dixit cœlum priùs conditum eſſe, ac deinde ornatum; ſed priùs declaratum fuiſſe condi-

tum,

tum, ac deinceps ornatum: atque iccirco priùs illud ac poſteriùs, non ad Dei productionem, ſed ad Moſis narrationem refert. do verba ipſius,, *Ideo primò facta, poſteà compoſita declarantur; ne verè increata, & ſinè principio crederentur, ſi ſpecies rerum velut ingeneratæ ab initio, non poſtea additæ viderentur*,,. expendenti duo illa verba *declarantur*, & *viderentur*, perſpicuum eſt, non ex poſteriori Dei productione; ſed ex poſteriori Moſis declaratione, cœlo & terræ ornatus poſtea adjectos fuiſſe videri.

VI. Ambroſio ſucceſſit Doctorum omnium maximus Auguſtinus; qui non ſemel atque iterum, non in uno dumtaxat & altero loco, ſed prope centies, diſertiſſimè, conſtantiſſimè, invictiſſimèque edocuit, omnia ſimul, unicove momento temporis creaviſſe Deum, Tametſi non omnia in ſua forma, & aſpectabili ſpecie, noſtriſve percipienda ſenſibus conſtituta. docuit enim in ea, quæ modò fit, obvia ſenſibus noſtris, natura, Elementa, Lucem, Firmamentum, Maria, Luminaria, & Stellas creaviſſe: vegetabilia verò, animantia, atque etiam hominem creaviſſe quidem, quo ad illorum genus, ut eſſent; ſed quoad aſpectabilem eorundem formam, qua ſcilicet viderentur eſſe, non item. Ergo duplici ex parte & rationibus, & auctoritatibus comprobanda conſtituitur Auguſtiniana ſententia: quarum altera eſt; ea quæ a Moſe ſex diebus peracta dicuntur, a Deo fuiſſe ſimul unico momento creata: altera; non omnia in primo illo creaturarum exordio æquè fuiſſe a Deo ſub viſibili ſpecie conſtructa, atque manifeſtata. Primam ſuadet, perſuadetque in lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 14. in lib. de Gen. ad lit. imperf. cap. 7. in lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 21. uſque ad caput 33. In lib. de Civit. Dei cap. 7. ceteriſque in locis, quæ longum eſſet nimiùm omnia ſingulatim recenſere. Alteram in lib. 6. de Gen. ad lit. cap. 1. 2. & 3. diſertiſſimè tradit. Hanc autem firmiſſimam fuiſſe Auguſtino ſententiam, minimè dubium faciunt, ii, qui objiciunt ex lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 28. ea Doctoris optimi ver-

ba „ *Quiſquis ergo non eam, quam pro noſtro modulo, vel indagare, vel putare potuimus, ſed aliam requirit in illorum dierum enumeratione ſententiam; quæ non in prophetia figuratè, ſed in hac creaturarum conditione propriè meliuſque poſſit intelligi; quærat, & divinitus adjutus inveniat. fieri enim poteſt, ut etiam ego aliam his Divinis Scripturæ verbis congruentiorem fortaſſis inveniam: neque enim ita hanc confirmo, ut aliam, quæ præponenda ſit, inveniri non poſſe contendam* „. Etenim colligere inde modeſtiam S. Patris quidem poſſunt, præcipuè recentiores ii, qui nihil ea deliniti, impareſque viribus, Joannis Clerici Heterodoxi omnium audaciſſimi genium ſequuti, quum illius ſententias veris rationibus convellere nequaquam poſſint; in illius auctoritatem, dignitatemque vaferrima invidia per ſummum dedecus conviciis contumeliiſque conſpirant. Non ideo tamen, quòd in prælaudatis verbis Auguſtini modeſtiam admirari poſſumus, proinde arguere poſſumus de ea ſententia dubiam fuiſſe mentem Auguſtini; quum in eadem conſtantiſſimum perpetuò fuiſſe, exploratiſſimum faciant in diverſis ejuſdem operibus tempore diverſo conſcriptis ea de re crebrò repetita & fortiùs excogitata momenta. & in libro de Gen. ad lit. lib. 8. cap. 2., veluti nonnulla retractans, quæ in lib. de Gen. contra Manich. non ſecundùm propriam, ſed ſecundùm allegoricam locutionem expreſſerat; dicit, voluiſſe Deum, ut diligentiùs penitiùſque conſiderans Scripturarum arcana, ea, quæ ſecundùm propriam locutionem accipienda eſſent, agnoſceret; non autem ſolùm in iis, quæ de mundi creatione ſuperiùs oſtenderat; verùm etiam in aliis, quæ, quum de Paradiſo voluptatis diſſereret, erat oſtenſurus. Quamobrem, ſi de Mundi creatione agens Auguſtinus, dies Moſis non ſecundùm propriam, ſed ſecundùm myſticam locutionem accepit; nemo unus inficiabitur unquam eo prorſus modo accipiendos non eſſe perſuaſum fuiſſe Auguſtino. Præterea in hac ſententia ſemper Auguſtinum perſtitiſſe, nullum relinquunt dubitandi locum ea quæ in lib. 2. Retract. cap.

Jo: Clericus in Append. ad Opera D. Aug. edita Amſtelodami, ſub nomine Antwerpiæ

24.

24. conſcripta reliquit; agens enim de duodecim libris de Gen. ad litter. *In quo opere*, inquit, *plura quæſita, quàm inventa ſunt; & eorum, quæ inventa ſunt, pauciora firmata*: perſpicuum facit inter ea, quæ dicit *pauciora firmata*, ſimultaneam quoque rerum creationem comprehendiſſe: illam ſiquidem tum ab auctoritate tum ab ratione accerſitis momentis non ſemel in diverſis ſuis operibus docuit affirmavitque. quæque eò loci *firmata* dicuntur ab ipſo, extra omnem dubitationis aleam Auguſtino probata fuiſſe, indubium ſit ex illius diſertiſſimis verbis in lib. 1. Retract. cap. 18. ubi ediſſerens multa de libro de Geneſi ad litteram imperfecto, lectorem monet, ut, ad ea intelligenda quæ ſuboſcurè tradita eſſe videntur, adeat prælaudatos duodecim libros, dicens„ *Breviter enim admoneo, ut illi duodecim libri legantur, quos longè poſtea Epiſcopus feci, & ex ipſis de iſto judicetur.*

VII. Inter recentiores Eccleſiæ Patres meritò recenſendus eſt pro hac ſententia Doctor Angelicus; qui, in prima parte quæſt. 74. art. 2. rerum creationem in utraque ſententia paucis exponens, tametſi ſeſe neutri partium dedat, & pro ſua in ſanctos Eccleſiæ Patres veneratione concludat„ *Ut igitur neutri ſententiæ præjudicetur, utriuſque rationibus reſpondendum eſt*„ attamen ex laudibus, quibus in 4. quæſt. de Potentia Dei art. 2. Auguſtinianam ſententiam evexit exornavitque, ceteris eandem docentibus adjungi jure optimo poteſt. quo factum eſt, ut inſignis Angelici Doctoris Diſcipulus, Thomas Cajetanus eandem in commentario libri Geneſeos docuerit, atque defenderit. Franciſcus Macedo celebris Minorita in altero Tomo ſuarum collationum de Angelis, egregiam pro ea ſententia navavit operam, & quamplures ſcriptores laudat, qui eandem vel ante vel poſt Auguſtinum tradiderunt: videlicet Rabbi Moyſem Ægyptium lib. 2. Ductorii, Hamertum Comment. in Geneſ. Originem lib. 4. Periarch. Procopium cap. 1. in Geneſ. Joannem Alboreum lib. 3. Theoſoph. cap. 1. Verratum de æterna Chriſti Generatione cap. 1. & Canum in MSS. citatum a Bannez

Card. Cajetanus in Comment. Gen. ſuper caput 1.

Macedo Collat. 6. Differ. 2. Tom. 2.

in Comment. ad quæſt. 74. a. 2. Id ipſum præſtiterunt ex noſtra Auguſtiniana Familia Viri præclariſſimi Emmanuel Cerda Luſitanus publicus in Academia Conimbricenſi Theologiæ Profeſſor in ſuis Quodlibetis Theologicis, Carolus Moreau Bituricenſis in Vindiciis pacificis, Nicolaus Gavardi in Schola Ægidiana, & omnium noviſſimè Nicolaus Gircken in Summa Theologiæ Tom. 2. *Illam etiam tanti fecere* (addit Eminentiſſimus Noris) *univerſi ſcholaſtici Doctores, ut magno ſtudio adlaborarint in explicanda ſententia Auguſtini de cognitione illa matutina & veſpertina rerum, nempe in Divina natura, & in ſe ipſis*. De vera autem Auguſtini mente exploranda in iſtiuſmodi explicatione graviter inter ſe diſputant eximii ſcholarum Principes Albertus Magnus 1. p. ſumm. q. 12. art. 6. & 7. D. Bonaventura 2. diſt. 4. art. 3. q. 1. B. Ægidius Columna 1. p. Hexamer. cap. 9. & ſubtilis ſcholæ Dux Joannes Scotus, quem tamen, ut Auguſtinianæ ſententiæ totum aſſereret, ſummo ſtudio & diligentia contendit Macedo. Hiſce omnibus ex antiquioribus præiverunt Caſſiodorus, Iſidorus, Junilius, aliique; *quos*, Noriſio teſte, *in commendationem Auguſtinianæ explicationis adducunt Luſitani noſtri Doctores Cerda, & Ludovicus ab Angelis*.

In Vindiciis Aug. §. 9.

Hæ ſunt præcipuæ, quæ, de prima rerum creatione, a Patribus producuntur ſententiæ & explanationes; neutra illarum erronea eſt, neutra proſcripta. Plurimi hanc, plurimi illam Patres probavere. Utraque ſcripturarum momentis adnititur; utraque ſibi pondus accerſit ex verbo Dei. Corrigendi ſunt itaque alterius accuſatores injuſti, immiteſque cenſores, Ludovicus Molina, Cornelius a Lapide, & Arriaga; qui tam abjectè, de profundiſſima Sanctiſſimi Doctoris interpretatione ſentiunt, loquunturque; ut illorum primus de ea aſſerere minimè dubitet „ *Exponere in eo ſenſu ſcripturas, eſt ſanè earum auctoritatem enervare, & ludribrio forte eam coram infidelibus exponere*. alter ſupercilioſi Ariſtarchi perſonam induens ait „ *Contrarium docent omnes alii Patres, idque omnino*

Molin. in tract. de opert ſex dier. di. 1.

Corn. à L. Comment in Geneſ. cap. 1.

omnino evincit ſimplex, & hiſtorialis narratio Moyſis; quare erroneum jam eſt dicere omnia uno die eſſe creata ,,. poſtremus, digito vibrante, exclamat ,, *Explicatio hæc cenſetur ab omnibus improbabilis, nec ego dubito, quin ſi Auguſtinum non haberet Patronum, manifeſtè damnata fuiſſet ut hæretica*,,. Mirum ſanè eos probatiſſimæ eruditionis atque doctrinæ viros tam acri cenſura ſanctiſſimum Eccleſiæ Doctorem Auguſtinum impetere minimè religioni duxiſſe. enimverò quàm longè meliùs conſuluiſſent ſibi, & dignitati Fidei noſtræ; ſi quem Doctorem optimum perpetuò venerata eſt, & veneratur etiamnum Eccleſia Dei, venerati eſſent & ipſi: & de ſublimitate mentis illius, quam Pontifices, Concilia, Patres omnes omni ætate ſuſpexerunt, rectiùs, honeſtiùſque ſenſiſſent. Quanto vero melius hac in re Sanctum Dionyſium Carthuſianum imitati fuiſſent; qui quantumvis ab Auguſtiniana Geneſeos interpretatione recedat, pro Auguſtino tamen venerabundus apponit ,, *Spiritus-Sanctus duobus modis inſpirat expoſitores ſcripturæ. primò quantum ad conſentaneum rationi, & non contrarium Fidei; hoc eſt, ut ſequantur id quod ratio magis dictat, nec tamen eſt contra fidem. ſecundò inſpirat eos, quantum ad conſentaneum auctoritati. primo itaque modo motus eſt, ac proceſſit Auguſtinus, exponendo exordium Geneſis, prout rationi magis conſentaneum eſſe videtur, non tamen negando quod auctoritas exigit. alii vero expoſitores magis ſequuti ſunt, quod auctoritas ſcripturæ videtur prætendere, non tamen negantes quod ſecundùm rationem eſt conſequens*. Ea mitiſſima moderatione mentis, eo pacatiſſimo veritatis amore loquuntur de doctrina majorum ſuorum ii, qui aguntur ſpiritu Dei, ii, qui ſunt Filii Dei: nimirum, non illam cenſoria feriunt virga; non nigrum præfigunt theta: ſed vel aſſenſu mentis excipiunt, vel pietate cordis adorant.

Arriaga tom. 2. in 1. p. diſp. 28. nu. 40.

Dion. Carthu. Enarrat. in Geneſ. art. 5.

CA-

CAPUT III.

I. Explicatur potuiſſe, quæ ſimul producta fuerunt, ut ſucciſivè producta narrari. II. Conſultò Moſem ſenario dierum numero Creationis hiſtoriam abſolviſſe. III. Meritò ex diebus, non autem ex alia re, deſcribendi allegoriam ſelegiſſe. IV. Die, rei manifeſtatæ; mane, rei præparatæ; veſpere, rei conſummatæ, cognitionem ſignificaviſſe. V. Vegetabilia, & cetera viventia primùm latenter in cauſſis, deinde in propria aſpectabili forma producta fuiſſe.

I. PLura ſunt, quæ in præſentia rerum ad enodandam D. P. Auguſtini ſententiam proponi exponique in anteceſſum debent; ut nimirum aliquando tandem, ſi detur optio, criminationes illæ omnes penitus conticeſcant, quibus adverſarii noſtri eandem impetunt audacter, atque injuſtè premunt. Primum eſt: quì intelligi queant ſimul producta, quæ tàm disertè ſucciſivè creata narrantur. alterum: cur potiùs ſenario, quàm majori minorive dierum numero rerum creatarum narrationem conſtituerit Moſes. tertium: cur ex diebus, non autem ex alia quapiam re ſcribendi allegoriam ſelegerit. quartum: quid ibi pro diebus accipiendum ſit, quidque uniuſcujuſque diei veſpera & mane ſibi velint. quinctum demum: quo pacto vegetabilia, viventia, atque etiam homo, in primo quidem creationis momento, ſed non item ſub ſua viſibili ſpecie, ſimul producta dicantur. Hiſce omnibus, eo, quo poterimus, modo enucleatis; continuò ipſa meridiana luce clarior atque apertior, ea, quam obſcuriſſimam, quam implicatiſſimam fabulantur, eluceſcet Sanctiſſimi Doctoris ſententia.

Porro, quì intelligi poſſint producta ſimul, quæ tam diſertè à Moſe ſucciſivè creata narranrur, mira ſimilitudi-

ne ab Auguſtino adinventa, ex eodemque depromta ob oculos ponendum eſt. Oculus noſter indiviſibili ac momentaneo obtutu conſequitur objectum ſuum: hinc Apoſtolus gentium, ut mortuorum reſurrectionem oſtenderet ocyſſimam eſſe futuram, in ictu oculi fieri debere nos docuit. Fingat modo animo ſolertiſſimus lector, quempiam rudi & ignaro populo curſum illum celerrimum, quo noſter obtutus ad ſolem, verbi cauſſa, naſcentem pervadit, delineare velle; & ſecundum loquendi modum, quem in primo Geneſeos capite agens de creatione mundi ſervavit Moſes, adhibeat aptiſſimam hanc jucundiſſimamque ſimilitudinem. neque enim in ea cauſſa loqueretur ineptè, qui ſic loqueretur: Oculi obtutus ſex itinerum ſpatiis ad ſolem orientem accedit: primùm univerſum hujus provinciæ ambitum tranſmigrat uſque ad mare: & fit progreſſio & motus iter unum. deinceps vaſtiſſimum maris ſinum uſque ad horizontem permeat: & fit progreſſio, & motus iter ſecundum. tum immenſam aeris abyſſum uſque ad Lunam tranſilit: & fit progreſſio & motus iter tertium. iterum univerſum Lunæ orbem uſque ad Mercurium tranſgreditur: & fit progreſſio & motus iter quartum. exinde ampliſſimum Mercurii vorticem tranſvolat uſque ad Venerem: & fit progreſſio & motus iter quinctum. demum ſpacioſum Veneris circum uſque ad ſolem conſcendit: & fit progreſſio & motus iter ſextum; ibidemque ab omni omnino, quod peregerat, itinere requieſcit. *Num igitur* (ſubdit Auguſtinus) *quia toties repetitur prius ac poſterius, ideo non ſimul omnia unico ictu tranſit noſter obtutus?* omnia quidem certè. Sed juvat rem ipſam exemplo ab Auguſtino pulcherrimè illuſtratam penitiùs introſpicere atque explanare. Oculi obtutus momento ad ſolem pervenit: Dei potentia momento Mundum producit. tametſi oculi obtutus momento ad ſolem perveniat, ſex itinerum ſpaciis deſcribitur abſolutus: tametſi Potentia Dei momento Mundum producat, ſex dierum intervallis dicitur operatrix. Utrobique

Aug. li. 4. de Gen. ad lit. ca. 33.

bique populorum inſcitiæ ſagax ſcriptor occurrit: ibi nihili pendens ab rudibus excipi ſucciſivus obtutus, modò intelligatur obtutus; hic flocci faciens ab Judæis judicari ſucciſiva creatio, modò credatur creatio. Ex iis judicet prudens lector, quàm parùm æquè Auguſtino ſuccenſeant adverſarii noſtri; ſucclamentque ipſius de mundi creatione ſententiam altam potiùs eſſe quàm veram, obſcuram, inintelligibilem eſſe, & cimmeriis, quod ajunt, tenebris obvolutam. verùm ipſi turpiter alucinantur tam ſeveri cenſores. doctrina tanti luminis nequit non eſſe clariſſima: quòd ſi ea recentioribus iſtis tam ægrum faſtidium ingenerat; illud haud dubiè in cauſſa eſt, quòd oculis infirmis odioſa eſt lux, quæ puris eſt amabilis.

II. Cur verò ſenario, non autem majori minorive dierum numero, univerſam creationis hiſtoriam aptaverit Moſes, ſenarii numeri perfectio, auctore Philone, cauſſa fuit; quam itidem refert confirmatque lib. 6. Stromatum D. Clemens Alexandrinus: ajunt nimirum optimo jure a Moſe ſenarium dumtaxat numerum electum fuiſſe, quippe qui ſolus ex omnibus eam præ ſe ferat perfectionem, ut propriis ſui partibus compleatur. atque hìc mirari ſubeſt, egregiam illam D. P. Auguſtini ediſſerendi felicitatem; etenim dumtaxat ab ipſo pro imbecillitate noſtra, quod nec ex Philone, neque ex Clemente aſſequi mente potuimus, obtigit adæquè cognoſcere; quid nimirum ſit, ſenarium dumtaxat numerum eam perfectionem obtinere, ut ſolus ex omnibus propriis ſuis partibus compleatur: ſenarius numerus in æquales partes ter dividi poteſt, hoc eſt in ſextam, tertiam, & mediam partem: ſexta pars eſt unum, tertia duo, dimidia tria; & quia omnes hæ partes, nempe unum, duo, & tria, ſi ducantur ſimul, conficiunt ſex; fit conſequens, ut ſenarius numerus, quemadmodum ajebat Philo, ſuis undequaque, propriiſque partibus compleatur: & nullus certè alius eſt numerus, qui hanc ſibi vindicet perfectionem. quod, ut perſpicuum exemplo aliquo fiat,

con-

conſideretur, verbi cauſſa, numerus quaternarius, qui ſenario ipſo inferior eſt numerus, itemque octonarius qui eodem ſuperior eſt; compertum erit, neutrum illorum partibus ſuis compleri: non primum, quia quantumvis in æquales partes ille dividi poſſit, hoc eſt in quartam, mediamque partem quæ ſunt unum & duo, attamen ſi ducantur ſimul hæ partes unum & duo, non quaternarium ſed ternarium complent numerum: non alterum, quia octonarius numerus ter quidem in æquales partes dividitur, videlicet in octavam, quæ eſt unum; in quartam, quæ eſt duo; in mediam, quæ eſt quattuor; verùm partes iſtæ ductæ ſimul, nimirum unum, duo, & quattuor, non octonarium, ſed ſeptenarium numerum abſolutum referunt. præcipua igitur ſolius ſenarii numeri perfectio eſt, ut diviſus quantumlibet in partes æquales, iiſdem ſimul ductis partibus aptiſſimè compleatur. Joannes Clericus, qui non ita pridem adſcito ſibi Joannis Phereponi nomine, in opera S. P. Auguſtini cenſorem egit, hanc Sancti Doctoris uſurpatam a numeris ratiocinationem irridet; & temerè ſcribit „ *Quicumque alius numerus a Deo lectus fuiſſet, in eo neceſſarias perfectiones omnes inveniſſet Auguſtinus* „. Apage hinc cum tuis iſtis ficticiis animadverſionibus, Joannes Pherepone. quid miſer ineptis; quid audaciſſime hariolaris? rationem illam a ſenario numero ductam non primus omnium excogitavit, non invenit Auguſtinus; ſed ab aliis inventam probavit, illuſtravitque. Porro tu, ſi quantum temporis in ſuggillandis ſanctiſſimis Eccleſiæ Patribus perperam abſumpſiſti, tantumdem in iiſdem probè fideliterque percipiendis collocaviſſes; jam pridem rationis illius momentum, cum apud Philonem Judæum, tum apud Clementem Alexandrinum, qui longè ante Auguſtini tempora floruere, deprehendiſſes. Sique accuratiùs ejus rationis cauſſas excepiſſes, quarum prima ex verbo Dei „ *omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuiſti* „ altera ex intima illius numeri perfectione & natura repetenda eſt; non jocis, non ſcommatibus, ſed ſtudio & ve-

Jo: Phere. animadv. in Tom. 5.

vèneratione proſequutus fuiſſes.

III. Præcipua verò ratio, cur ex diebus potiùs,quàm ex alia quapiam re ſucciſiva, ſcribendi allegoriam ſelegerit Divinus propheta Moſes, ea eſſe videtur, quæ ex rei enarrandæ proprietate, veluti ſua ſponte depromitur. In ſacra geneſeos hiſtoria opera Dei Verbi æterni virtute ſimul omnia producta Moſes erat deſcripturus; quumque negocium faceſſeret Judæis,credi debere,non uno ex loco, ſed momento uno omnia ſimul produxiſſe Deum, ad explicandum tantum Omnipotentiæ opificium ideo captu difficilem, quia tempore momentaneum; operæ pretium eſſe duxit, non Deum per diverſa locorum ſpacia, ſed per diverſa temporum intervalla operantem deſcribere. & quamvis communior aptiorque partitio temporum illa ſit, quæ ſit in horas & dies, hos admiſit, illaſque Divinus ſcriptor deſeruit; quia futurum erat, ut ab exemplo iſto non horæ ſeptimæ, ſed ſeptimi diei hominibus ingerenda eſſet ſanctificatio. Divino ſpiritu affectus ſcripſit ſex diebus operantem, & ſeptimo requieſcentem Deum; quia prævidit jam tum totidem diebus homines, ex virtute legis, operaturos; ac ſeptimo tandem per ſingulas hebdomadas die eſſe requieturos „. *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. ſeptimo autem die ſabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus & ancilla tua &c. ſex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo: icci rco benedixit Dominus diei ſabbati, & ſanctificavit eum.* S. Clemens Alexandrinus id ipſum nititur explorare in ſexto Stromatum libro; & ſublimiorem rimatus cauſſam ſcribit „ *Hoc autem; quo die fecit Deus, hoc eſt, in quo, per quem fecit omnia, & ſine quo factum eſt nihil, ſignificat eam, quæ per filium ſit, operationem, quem dicit David: Hæc eſt dies, quam fecit Dominus.... Dies enim dictum eſt Verbum, quod occulta illuminat, & per quod in lucem & ad generationem acceſſit unaquæque creatura.* En igitur altera cohærentiſſima & profundiſſima ratio, cur diei allegoriam

Exhodi cap. 20.

Clemen. Alexand. Strom. l. 6.

riam

riam Moſes acceperit: videlicet quia Verbum Divinum, in quo facta ſunt omnia, Dies eſt & tenebræ in eo non ſunt ullæ; quæque in verbo facta ſunt, appoſitè facta dicuntur in die. atque hoc etiam in cauſſa fuit, quòd Moſes ordiens creationis dies, non inceperit dicens,„*Dies primus*, ſed„*Dies unus*„. quamtumvis propter reliquorum dierum ordinem, qui ſecundus, tertius, quartus, quintus, ſextus, ac ſeptimus dicti ſunt, videatur ſcribere debuiſſe (ut advertit Auguſtinus) magìs aptè „*Dies primus*„ ſicut enim duorum initium eſt unum, ita etiam ſecundi initium eſt primum. Scripſit tamen,„*Dies unus*„ Divinum nanque Verbum, in quo facta ſunt omnia, eſt, & dicitur unum: reliqui autem, qui poſt diem unum numerantur dies, non plurium dierum multiplicationem, ſed Diei unius, ut Idem docet, replicationem conficiunt. Laudatum ex D. Clemente Alexandrino momentum apprimè quadrat cum alia Auguſtini ratione, quam explicabimus infra ediſſerentes quid diei, quidve veſperæ ac mane nomine ſignificaverit Moſes, quod quarto loco perquirendum diximus: quodque totum Auguſtinus diverſis in locis diversè, ſed clariſſimè ſemper exponit. Nos, ut Auguſtiniana doctrina omnium oculis maximè perſpicua fiat, omnia ea, quæ ad inſtitutum noſtrum videntur conferre, redigemus ad unum.

IV. Docet Auguſtinus in luce primo die creata, præter corpoream, incorpoream quoque lucem, hoc eſt Angelorum cognitionem ad Deum converſam intelligi haud ineptè poſſe: quod S. Doctor lib. 11. de Civitate Dei hiſce verbis exponit,„ *Quum enim dixit Deus: fiat lux, & facta eſt lux, ſi rectè in hac luce creatio intelligitur Angelorum, profectò facti ſunt participes lucis æternæ, quæ eſt ipſa incommutabilis ſapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, quem dicimus unigenitum Dei filium, ut ea luce illuminati, qua creati, fierent lux; & vocarentur dies participatione incommutabilis lucis & diei, quod eſt verbum Dei, per quod & ipſi, & omnia facta ſunt. Lumen quippe verum, quod illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem,* Aug. l. 11. de Civit. cap. 9.

tem, hoc illuminat & omnem angelum mundum, ut ſit lux non in ſeipſo, ſed in Deo, a quo, ſi avertitur Angelus, ſit immundus, ſicut ſunt omnes qui vocantur immundi ſpiritus, nec jam lux in Domino, ſed in ſeipſis tenebræ, privati participatione lucis æternæ „. Quibus mirificè aſſeritur Auguſtiniana ſententia. Deus omnia ſimul creavit; Moſes verò, priuſquam recenſeret corporea & viſibilia, incorpoream inviſibilemque naturam, nimirum angelicam voluit recenſere, magni hujus opificii ab excellentiori præſtantiorique parte narrationem incipiens: quam quidem narrandi explicandique ſeriem tanti fecit Rupertus, vir undequaque haud dubiè doctiſſimus, ut judicaverit omnino non convenire „ *primum Dei opus eſſe ceteris ignobilius; lux autem illa* (proſequitur ipſe) *ſi corporalis fuit, quid aliud fuit quàm accidentaria quædam aeris illuminatio? namque aſtra omnia poſtea quarta die formata ſunt. tum neceſſe fuit illam lucem non diutiùs, quàm primo triduo duraſſe, factoque ſole, & ceteris aſtris prorſus evanuiſſe. Quis autem in animum ſuum inducat credere, in molitione mundi, primum Dei opus fuiſſe ignobiliſſimum, in triduo dumtaxat duraturum, in hoc factum, ut mox aboleretur* „? Sed ut ut ſe res habeat, ſatis hìc erit cum Hugone aſſerere, angelum tantam cohærentiam præſeferre cum luce, ut hoc ſaltem tanquam certiſſimum dici poſſit; Moſem in luce Angelum deſcripſiſſe; & quidquid de luce dicebat, de angelo etiam intellexiſſe, ut hiſtorica ipſius narratio de iis quæ in mundo ſenſibili agebantur, illorum quæ agebantur in intelligibili mundo, eſſet imago. quamobrem redeuntes ad Auguſtinum, neque ab Hugone & Ruperto recedentes dicimus: conſultò in luce angelicos ſpiritus intellexiſſe Moſem, quia Angelorum natura, ſtatim atque creata fuit, Divini Verbi lucis effecta eſt particeps, per quod creata fuit, quodque ab Joanne in Evangelio *Lux vera* appellatur. & quia ea participatione angelus non in ſeipſo, ſed in Verbo eſt lux; angelus qui eſt converſus ad Verbum dictus eſt lux, angelus qui eſt averſus à Verbo propter privationem lucis dictus eſt tenebræ. lucem „

Rupertus in lib. 1. de Trin. & operib. ejus cap. 10.

Hugo li. 1. de Sacra. parte 1. cap. 12.

cem, hoc eſt angelum ad Deum converſum, Deus appellavit diem: tenebras, hoc eſt angelum averſum a Deo, Deus appellavit noctem; quibuſcum mirificè concinunt illa Apoſtoli verba „ *omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii Diei: non ſumus noctis & tenebrarum* „. ac demum, quum lucem a tenebris Deum diviſiſſe legimus, angelos a Deo averſos ab angelis ad eundem converſis ſeparatos fuiſſe cenſemus. Ex hiſce Auguſtinianæ doctrinæ principiis Auguſtiniana de Moſaicis diebus ſententia facili negocio dilucidèque explicatur. Angelus lux eſt, angelorum cognitio dies. ſicut enim dies a luce eſt clara rerum manifeſtatio, ita cognitio ab angelo eſt clara manifeſtatio operum. Sed quum angelus cognoſcat opera Dei cum in Verbo ipſius, tum in rerum ipſarum natura; fit conſequens, ut duplex ſit de unaquaque re, angelorum cognitio; quarum prima ab universo Theologorum cœtu matutina, altera veſpertina vocatur: ſicut enim mane veſperam, ita cognitionem rei in ſui natura cognitio ejuſdem in Verbo divino exſuperat claritate. Neque exiſtimandum eſt, ab rei aptitudine acceptionem iſtam deflectere atque declinare. quippe in verbo Dei præparatum cognoſcitur opus,& in rei natura cognoſcitur conſummatum;ac proinde cognitio operis præparati in Verbo Mane dicitur, quod eſt præparatio Diei;& cognitio operis conſummati in re ipſa dicitur veſpera, quæ eſt diei conſummatio. Hocce totum ab Auguſtino propoſitum & explanatum, mirum in modum ex Moſis item littera promitur. Quum legimus „ *Dixitque Deus fiat lux*, præparatam in Verbo lucem agnoſcimus. quum legimus „ *& facta eſt lux*, conſummatam in opere lucem percipimus. quumque legimus „ *& factum eſt veſpere & mane Dies unus* „ lucis manifeſtationem accipimus, & in veſpere, hoc eſt per cognitionem conſummati operis in ſui natura, & in mane, hoc eſt per cognitionem præparati operis in Verbo Dei.

Itaque, ſi invicem conferantur ſacrorum interpretum explicationes, inter illos ea diſcrepantia comperietur.

rietur. Alii pro die ſolis præſentiam, res omnes manifeſtantem accipiunt; alii angelicam cognitionem opera Dei referentem intelligunt. illi pro mane diei ſolis ortum ad diei præparationem; iſti pro eodem mane angelicam cognitionem ad operis præparationem, agnoſcunt. illi pro veſpera intelligunt ſolis occaſum, conſummato jam die; iſti exponunt pro veſpera angelicam cognitionem, opere jam conſummato. Denique ſex creationis dies in priori ſententia corporei ſunt atque naturales dies; in poſteriori verò ſunt dies ſpirituales & tropici. Quænam ex iis Menti verbiſque divini ſcriptoris, ceteriſque ſcripturarum ſanctarum teſtimoniis concinnè magis ac magis aptè cohæreat, infra expendetur.

V. Nunc reliquum eſt, ut expendamus alteram præcipuam Auguſtinianæ ſententiæ partem; videlicet, quonam pacto inter omnia, quæ Deus creavit ſimul, non item in propria forma creata fuerint vegetantia, animantia, atque etiam homo: quod ſanè prima ſpecie perdifficile, & nonniſi Auguſtiniana ipſa ſapientia explicari poſſe videtur. Ut ergo ea, qua datum erit, peſpicuitate in hujuſce rei explanatione procedamus, operæ pretium erit ea, quæ ab Auguſtino in propria viſibili ſpecie producta, & ea, quæ ab eodem non eo modo producta in rerum primordiis fuiſſe dicuntur, ſecernere atque enumerare. Primi igitur generis ait S. Doctor, fuiſſe Lucem, Firmamentum, Mare, Elementa, Luminaria, & Stellas: alterius autem Plantas, Volatilia, Piſces, Reptilia, Beſtias terræ, & Hominem. inter utrumque rerum enumeratarum genus iſtud non exigui negotii diſcrimen intercedit; quod nimirum res, quæ ſub primo genere recenſitæ ſunt, non ex alio præjacenti opere Dei ſunt productæ: quippe non legimus, dixiſſe Deum de Cœlis: Producant elementa cœlos; de luce: Producant cœli lucem; de luminaribus: Producat lux luminaria &c. ſed de iſtis omnibus aut expreſsè legimus „ *Dixit Deus fiat*, quemadmodum de luce, firmamento, & aſtris; aut non expreſsè

preſsè legentes, inferimus, quemadmodum de elementis, in prima eorundem conſtitutione a Deo ex nihilo producta fuiſſe. res autem alterius generis, plantæ nimirum, viventia, atque homo, ita a Deo producta ſunt, ut, ex alia re jam producta, producta ſint: hoc eſt, ex terra plantæ; quia legimus „ *Germinet terra herbam* „. ex aquis volatilia & piſces; quia legimus „ *Producant aquæ reptile animæ viventis & volatile* „. beſtiæ terræ, atque homo rurſum ex terra; quia legimus „ *Producant terra animam viventem in genere ſuo*, & „ *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ* „. Habito iſto rerum diſcrimine, Auguſtini ſententia facillimè enucleatur. Primi generis creaturæ, quæ in prima illa naturæ conſtitutione ex nihilo a Creatore optimo producta ſunt, in primo creationis momento abſolutum atque integrum eſſe, idemque oculis aſpectabile receperunt; alterius vero generis creaturæ, quæ in prima ſui conſtitutione, non ex nihilo, ſed vel ex terra, vel ex aquis a Deo productæ dicuntur, priuſquam eſſent ſub integra & aſpectabili ſpecie, ſecundùm primigeniam ipſorum naturam vel in terra, vel in aquis utique eſſe debuerunt; quam quidem naturam, quum inviſibilem a conditione adeptæ fuiſſent intra abditiſſimas eorundem elementorum cauſſas rationeſque, ut viſibilem facerent, neceſſe fuit ut terra & aqua germinarent atque producerent.

Aliqui, etiam ex noſtris, quum in libro de Geneſi ad litterã legant de hominis creatione, ſemel atque iterum a Moſe recenſita, Auguſtinum dixiſſe „ *hominem formatum inviſibiliter, potentialiter, & cauſſaliter* „ nimiùm Peripatetici *potentialiter* illud accipiunt; autumantque in primo illo creationis momento nihil quidpiam *actu* fuiſſe, ut ſcholæ ajunt, hominem, quem tam diſertè *potentialiter* dumtaxat fuiſſe docuit Auguſtinus. Verùm enimvero ſapientiſſimus Doctor ne ſomniavit quidem ſcholaſticum illum interpretandi modum docuit, in primo creationis momento & vegetabilia, & animantia, & hominem integrum & abſolutum eſſe recepiſſe a Deo;

Lib. 6. de Geneſ. ad lit. cap. 6.

omnia ſimul creavit „. Nolumus tamen hìc cum rigidioribus Ariſtotelicis judicio contendere, utrum in ipſo etiam grano, ea quæ temporis progreſſu exſeruntur atque ſuccreſcunt in arborem, *actu* ne, ut loquuntur illi, an verò *potentia* dumtaxat contineantur. non eſt appoſitus his nunc locus. ipſi viderint. Quod in altera iſta Auguſtinianæ ſententiæ parte hactenus explicata difficultatem ingerit minimè contemnendam, illud eſt quod de hominis formatione dicitur, aſſeriturque. Illius enim corpus haud dubiè de limo terræ formatum eſt, anima verò, ſpiritualis quum ſit, non item: atque iccirco quonam pacto in terra ipſa primùm inviſibiliter factus ſit homo in die creationis ſexto, ſcribente Moſe, „*Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & feminam creavit eos* „ non ea res eſt, quæ facili negotio percipi ab omnibus poſſit atque explicari. Sed enim in ea expedienda, Auguſtino duce, parùm nobis laborandum eſt. etenim Ipſe lib. 7. de Gen. ad lit. cap. 22. 23. & 24. ſatis diſertè docet, quonam modo creatus intelligi homo poſſit primo illo die, in quo Deus omnia ſimul creavit. Negat autem, corpus dumtaxat productum fuiſſe, quia creatus homo legitur ad imaginem Dei, quæ quidem imago in corpore eſſe non poteſt. negat item animam dumtaxat factam fuiſſe; quia legitur *maſculum & feminam creavit eos* „ diſcretionem enim ſexuum in anima eſſe, quis dicat? aſſerit itaque & corpus & animam tum creata fuiſſe hiſce verbis, „*Credatur ergo, ſi nulla ſcripturarum auctoritas, aut veritatis ratio contradicit, hominem ita factum ſexto die, ut corporis quidem humani ratio cauſſalis in elementis Mundi, anima verò jam ipſa crearetur, ſicut primitùs conditus eſt dies, & creata lateret in operibus Dei; donec eam ſuo tempore ſufflando, hoc eſt inſpirando formato ex limo corpori inſereret* „. quam poſtremò aſſertionem ſuam eodem in libro latè cùm auctoritatibus, tùm rationibus munit; & a pluribus, quibus obnoxia eſſe videtur, difficultatibus liberat atque defendit.

CAPUT IV.

I. Auguſtini ſententiam Divinæ ſcripturæ auctoritatem apprimè defendere. II. A Manichæorum oppugnationibus vindicare. III. Atheorum convicia refellere. IV. Philoſophorum calumnias refutare.

I. AUguſtinianam de momentanea rerum creatione ſententiam fortiùs atque invictiùs impias deriſiones gentium convellere atque profligare affirmant Patres auctoritate graves, doctrina & ſanctitate conſpicui D. Thomas Aquinas, & D. Dionyſius Carthuſianus. Horum alter in 1. lib. Enarrat. ſuper Gen. art. 5. recenſitis præcipuis Ethnicorum conviciis & ſubſannationibus, hæc protulit in commendationem Auguſtinianæ ſententiæ.. „ *Auguſtinus excogitavit quandam expoſitionem ſubtilem, per quam defendit ſcripturam ab irriſione hujuſmodi, & tamen ſalvat ſcripturæ ac fidei veritatem*„. quod ſi quis in hiſce Dionyſii verbis nullam ſententiarum collationem, nullumve haberi judicium opponat; adeat è veſtigio Aquinatem in 2. ſent. diſt. 12. q. 1. art. 2. ibique comperiet „ *Harum igitur expoſitionum prima Auguſtini eſt ſubtilior, magis ab irriſione infidelium ſcripturas defendens* „. Non ſolùm igitur ex Dionyſii teſtimonio edocemur, Auguſtini ſententiam ſcripturas ſanctas defendere, ſed etiam ex D. Thoma magis defendere. quorum ſanctiſſimorum & ſapientiſſimorum Patrum exemplo deſueſcant tandem adverſarii noſtri imurere acri cenſura doctrinas Majorum, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, & quorum laudes perpetuò annunciat Eccleſia. Itaque, quod cum Aquinatis, tum Carthuſiani teſtimoniis cautum eſt de Auguſtiniana ſententia, nimirum illam dignitati Divinæ ſcripturæ appoſitè feliciterque conſulere, hic in retundendis infidelium

Dion. Carthu. Enarrat. in Geneſ.

D. Thom. 2. ſentent. diſt. 12. quæſt. 1.

delium calumniis, an tantam reapſe præſeferat firmitatem, liquidò expendamus.

II. Manichæi igitur, ſicut in priori hujus diſſertationis capite ſignificavimus, ſacram Geneſeos hiſtoriam impiè irridentes, ajebant ex ipſa colligi, terram fuiſſe, antequam crearetur; aquas Spiritui-ſancto habitaculum præbuiſſe; Deum lucem eſſe bonam ante ejuſdem creationem non cognoviſſe; priores tres dies ante tempus & ſine tempore peractos fuiſſe; aliaque id genus, quæ, dum brevitati conſulimus, æquo animo omittimus. Fatemur, quidem ab omnibus hiſce impiorum hominum gerris, etiam in adverſariorum ſententia divinas ſcripturas probè vindicari poſſe, immo & Auguſtinum ipſum quoque vindicaviſſe; ſed enim certo certius eſt, in Auguſtiniano creationis ſyſtemate omnes infidelium & impiorum præſtigias invictè magis extrudi, & auctoritatem Verbi Dei magìs aptè feliciterque defendi; quod Angelico Doctori haud dubiè perſuaſum fuiſſe laudatis ejuſdem verbis oſtendimus. dato enim, res omnes fuiſſe intermiſſariis & ſucciſivis operibus a Deo creatas, innumera ſunt quæ ab infidelibus mente refractaria poſſunt opponi: verum enimvero ſemel dato, omnia ſimul a Deo creata fuiſſe, illico os contemtorum infidelium comprimitur obſtruiturque. continuò namque eiſdem òb oculos ponitur, ea omnia quæ ſimul a D. O. M. condita ſunt, prius & poſterius ulla ex parte habere non poſſe; ſeu opificis, ſeu ipſius opificii naturam conſiderent. neque enim verè quidpiam prius, aut poſteriùs dici creaſſe poteſt, qui omnia ſimul creaviſſe veriſſimè dicitur. neque quidpiam priùs, aut poſteriùs creatum fuiſſe ex iis, quæ ſimul omnia creata fuiſſe, veritas Divina teſtatur. Dici tamen cohærentiſſimè poteſt, ea, quæ ſimul facta ſunt, cognoſci poſſe non ſimul: ac propterea, tametſi omnia ſimul a Deo condita fuerint, non ſimul omnia, ſed ſucciſivè ab intellectu Angelorum cognita & perſpecta fuiſſe. atque iccirco Moſem, exempli cauſſa, enarraviſſe ante Solem dies, quamvis dies accipiant lumen a Sole, non ut edo-

Aug. li. 1. cont. Manich.

ceret, Deum priùs formaviſſe dies quàm ſolem; ſed ut ſignificaret, Angelos primùm dies, ac poſtmodum ſolem agnoviſſe.

III. Eadem ferme facilitate atque perſpicuitate antiquas Philoſophorum gentium criminationes, ex Auguſtiniana ſententia accitis viribus, penitus eliduntur, neque reclamare ultra queunt, Moſem in terra illa inani & vacua antiquum obſoletumque rurſum inſtauraviſſe poetarum chaos; ac ſpecioſa proinde luſiſſe commenta. Non negamus, eos etiam, quibus oppoſita nobis ſententia magis arridet, iſtiusmodi adverſariorum molimini obviam ſatis iviſſe, quum docerent; terram quidem fuiſſe ante creationem lucis inanem & vacuam; aquas tenebriſque undequaque circumfuſam & obrutam; quippe quæ, ut eandem deſcribit Pererius „ *erat ſine luce, ſine ullo ornatu & decore; vacua hominibus, animantibus & plantis, non diſtincta in montes, valles, campos, & colles; non eminens & exſtans ſupra aquas, ſed omni ex parte altiſſimè aquis operta; denique talis, ut verè poſſet appellari materia inviſibilis & informis* „. nondum quippe dicenda foret terra illa Poetarum chaos, in qua jam creata elementa confuſa non erant; quum aqua ſuper terram, aer ſuper aquam circumlaberetur, quod naturæ chaos nequaquam congruum eſt; ubi nonniſi rerum confuſio & indigeſta moles inveniri dicitur. Sed quis non videt, quanta rurſum ſophiſmatum congerie, diſtrahi diſcerpique poſſit reſponſum iſtud ab adverſariis pervicaciſſimis? Quòd ſi ex Auguſtino dicatur, terram in ſuis primordiis plenam ornatamque a Deo conditam fuiſſe; & angelicam dumtaxat mentem, ante omnia ea, quibus ornabatur implebaturque, eandem cognoviſſe vacuam & inanem; hoc eſt primam illam materiem, ex qua omnia a Deo facta fuerunt; reſpondere ad hæc infideles quidpiam, aut hiſcere omnino non audebunt.

Perer. in Geneſ. l. 1. cap. 1. v. 2. num. 57.

IV. Ad eas verò difficultates, quæ a nonnullis ex noſtris adverſùm ſacram creationis hiſtoriam in medium producuntur, ex ſola Auguſtini ſententia uberrimè reſ-

ponderi

ponderi atque invictè poſſe, quis dubitet? Percunctantur ipſi, quid nimirum faceret Deus, creata jam luce, antequam firmamentum crearet: ſiquidem inter lucis & firmamenti creationem viginti-quattuor horarum ſpacium interfuerit. quivis enim fateri tenetur, uno dumtaxat uniuscujuſque diei momento operatum fuiſſe Deum. quo dato; quiſnam extra Auguſtini ſententiam ſatis cohibere queat nefarios irriſores, quin audacter exclament: Num alicui rei creandæ dans operam labore afficitur Deus, ita ut niſi longa deinceps quiete refectus, aliud quidpiam creare pro ſua omnipotentia non poſſit? An verò dubitabundus de unius expleti operis bonitate, diem integrum debet abſumere, ut æquum de eadem poſſit ferre judicium? quorſum tandem ſeptimi diei quietem recenſuit Moſes, perinde quaſi poſt momentaneum laborem ſingulis diebus non requieverit Deus? Hæc & alia id genus quamplurima in aliorum ſententia contra dignitatem libri Geneſeos congeri, regerique poſſunt; quæ tamen omnia peſſumdat atque invictè rejicit Auguſtiniana ſententia: quippe quæ una docet, non uno aliud, aliud altero temporis momento, ſed omnia uno ſimul creaviſſe rerum omnium Opificem. Ea igitur invictiſſima vis, quam cùm in difficultatibus, tùm in deriſionibus omnibus amovendis comprimendiſque præſeferre videtur Auguſtiniana Geneſeos explanatio, ſatis eſſe deberet; ut fideles nonnulli minùs illam cenſorio judicio premerent, minuſve contumeliis afficerent: immo ut potiùs Fidei, Religioni, Pietati utiliſſimam, & cohærentiſſimam crederent, facilemque adjungerent animum ad inquirendum, utrum quantum pietatis, tantundem veritatis præſeferat; quouſque ab omnibus unà non minùs vera quàm pia meritò poſſet haberi.

CAPUT V.

I. Auguſtiniana ſententia Eccleſiaſtici teſtimonio comprobatur. II. Variis exinde ad litteram conſiderationibus munitur. III. Ejuſdem ſacri libri auctoritas commendatur. IV. Latina cum Græca verſione confertur, eidemque præfertur. V. Quamplures adverſariorum explicationes rejiciuntur.

Eccl. 18. I. CElebre eſt illud Eccleſiaſtici effatum „ *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul*, „ quum enim ex eo veluti ex divina auctoritate Auguſtini ſententia definiri videatur, mirum eſt, quot quantaſque turbas faciant recentiores Theologi, ut illud abs re noſtra divellant, & in rem ſuam mirificis inrerpretationibus torqueant. at enim, velint nolint, meridiana ipſa luce clarius eſt, verba illa ad litteram uſurpata Auguſtinianam præſeferre ſententiam, quod multò magis perſpicuum fit expendenti alia, quæ ibidem non perperam præpoſita leguntur „ *qui vivit in æternum &c.* „ nam, quum eò loci probanda eſſet rerum omnium creatio, conſultiùs apponi debuiſse videtur „ *qui eſt omnipotens* „ creatio enim omnino, non Dei æterni, ſed Dei omnipotentis eſt opus. cujus quidem rei cauſſam intimè exquirere non inutilis dicendus eſt labor; quia in ſcripturis ſanctis Deo inſpirante conſcriptis „
Rom. 15.4 *quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.*

II. Sed quia ad percipienda ſcripturarum arcana, ſingula earundem verba mutuò conferenda & conſideranda ſunt; operæ pretium erit, hoc ipſum in prælaudata Eccleſiaſtici ſententia omni ſtudio atque diligentia præſtare. Legimus ergo Eccleſiaſticum dixiſſe, Deum omnia creaviſse, & creaviſse *ſimul*; præmiſerat autem, Eum, qui creavit, *in æternum* vivere: quapropter hæc duo *in æternum* & *ſimul* invicem conferamus: & intelligemus probè, Eccleſiaſticum eò

loci

loci Deum *æternum* appellaviſſe, propterea quòd præcipuum æternitatis attributum eſt omnia poſſidere ſimul: & perſuadere volentem, Deum omnia creaviſſe ſimul, æternum Creatorem noncupaviſſe; nimirum, ut nos ex ſimultanea, ut Scholæ ajunt, rerum poſſeſſione, ſimultaneam item rerum creationem faciliori animo crederemus; neque in dubium revocare poſsemus, omnia creaviſse ſimul opificem maximum, qui, quum ſit æternus, omnia poſsedit poſſidetque ſimul. itaque conſultiſſimè egit Eccleſiaſticus ſcribens, non „ *qui eſt omnipotens*„ ſed„ *qui vivit in æternum creavit omnia ſimul*„quandoquidem tam appoſitè creationis ideam ex idea æternitatis ſuggeſſit nobis.Dicent fortaſse nonnulli, eò Eccleſiaſticum ſcripſiſse in æternum Viventem omnia creaviſse ſimul, quò fideles doceret, omnia temporanea eſse,& ſolum Deum æternum. Sed ſi ea fuiſset Eccleſiaſtici mens, non ſcripſiſset„ *creavit omnia ſimul*„ ſed potiùs „ *creavit omnia in tempore* „. & mirum eſt, ſi illi liquidò oſtendere valeant,Eccleſiaſticum ibi ſignificaviſse, non ſimultaneam productionem, quam recenſuit; ſed productionem temporaneam, quam reticuit.

III. Hujus auctoritatis pondere tam miſerè premuntur adverſarii, ut crediderim anathematis dumtaxat formidinem hactenus illos coercuiſse, quin Eccleſiaſtici librum veluti humanum fœtum nondum rejecerint. at ſatis eoſdem deterruit Epheſina Synodus, quæ in Epiſtola ad Pamphilienſis Concilii Patres illum appellat, ſcripturam divinitus inſpiratam, ex eo laudans divinum illud oraculum„ *cum conſilio omnia fac*„ *Eccl. 32.* quod quidem in verſione latina legimus„ *Fili, ſinè conſilio nihil facias*„ tum etiam reliqua ſubſequuta Concilia, hoc eſt Toletanum octavum, Florentinum, Carthaginienſe tertium, & noviſſimè omnium Tridentinum, quæ vel pluribus ex eo accerſitis teſtimoniis, vel ſuis omnino ſanctionibus conſecraverunt: quibus adde univerſorum cùm Græcorum tùm Latinorum Patrum ſuffragia, qui librum illum divinæ ſemper auctoritatis loco habuerunt. quibus omnibus invictiſſimis *Vide Cornel. à Lap. Prolegomena in Eccleſ.*

gra-

graviſſimiſque momentis abſterriti adverſarii, impotes revocandi in dubium auctoritatem, verſionem in dubium revocaverunt. quamobrem conſuluerunt græcam verſionem, & ex ea cauſſati ſunt, in prælaudata Eccleſiaſtici ſententia non *ſimul*, ſed *generaliter*, ſive *communiter* legi. Nos quidem minimè inficiamur, ex græca translatione, ubi ex latina *ſimul*, *generaliter* legi; verùm quibus id rationum momentis, quove molimine adverſarii reponant, difficile non erit inveſtigare.

D. Epiph. lib. de ponder. & menſ.

IV. Certum eſt, ex D. Epiphanio, librum Eccleſiaſtici ab Jeſu ſeniore Ebræo idiomate exaratum fuiſſe, & ab Jeſu juniore græcæ linguæ donatum: unde cùm ebraicæ, tùm græcæ libri ejuſdem verſionis antiquitas abundè conſtat. Vetuſtiſſimam tamen eſſe latinam ipſius, quam legimus, translationem, ab antiquiſſimo Patrum, Tertulliani præſertim, atque Cipriani uſu ſatis evincitur; ſi enim cum verſione noſtra conferantur quamplurima ab iis Patribus ex Eccleſiaſtico laudata momenta, apprimè cohærere manifeſtum fiet. quin etiam latinam iſtam verſionem omnibus tùm Græcis, tùm Syris, & Arabicis præferendam eſſe ii quoque fatentur, qui Auguſtinianæ ſententiæ vehementiſſimè reluctantur; quos inter aſſerit P. Cornelius a Lapide „*magis puram, & incorruptam eſſe, Græcam autem multa addere, multa demere, multaque variare*„: immo latinam Ebraicæ undequaque congruere, Græcam verò non item; & quamplures Græcas eſſe verſiones, quæ etiam invicem comparatæ non omni ex parte conveniant. Quid igitur contra Auguſtinum moliuntur recentiores, quum reclamant ex græco textu, in quo legitur κοινῆ, non *ſimul*, ſed *generaliter*, aut *communiter* verti? quid, inquam, moliuntur? non aliud certè, niſi, quòd in verſione, quam ipſi legunt, particulam illam *ſimul* minimè haberi: habet tamen illam particulam verſio quam Tertullianus, Ciprianus, Sixtus, Calliſtus, Fabianus, Euſebius, Hilarius, Marcellinus, ceterique Latini Patres legerunt, quamque a primis uſque ſæculis univerſa Romano-Catholica Eccle-

Cornel. à Lap. Prolegomena in Eccleſ.

ſia

ſia legit. Quid ergo momenti eſt, ſi ex Græca verſione vel *generaliter*, vel *communiter* legitur; quandoquidem ex noſtra Latina legitur *ſimul*, quam tot Patres, tot Concilia, & univerſa demum Occidentalis Catholica Eccleſia per tot ſæcula conſecraverunt?

V. Non recuſat hanc verſionem legere & admittere P. Pererius; ſed tamen particulam illam Scholaſticorum more in diverſa diſcerpit; dicitque, per eam non „*ſimultatem temporis, ut putavit Auguſtinus*, ſed *ſimultatem univerſalitatis*„ ut ipſe putat, ſignificari: quapropter, ipſo Doctore, Deum creaſſe omnia ſimul, eſt, Deum creaſſe omnia generaliter. Libet hìc profecto percunctari a D. Dionyſio Carthuſiano, an P. Pererio ſcholaſticam iſtiuſmodi diſtinctionem Spiritus-ſanctus dictaverit; quippe ſanctus iſte Doctor docuit, Spiritum-ſanctum vel quod eſt conſentaneum auctoritati, vel quod eſt rationi conſentaneum divinæ ſcripturæ expoſitoribus cœlitùs inſpirare. Sanè ea Pererii diſtinctio non videtur eſſe conſentanea admodum rationi; nulla enim ratio ſuadere poteſt, ſcriptorem quempiam ubi ſcripſerit „ *Deus creavit omnia*, apponere debere *univerſaliter;* nam qui dicit *omnia*, univerſa dicit; quique univerſa dicit, aliquid ſupervacaneum addit, *univerſaliter* addens. Sed neque auctoritati conſentanea item eſſe videtur: nullum enim in medium proferri poteſt divinum eloquium, in quo ad univerſa ſignificanda, inveniatur *omnia*, ac ſubinde particula iſta *ſimul* adjecta inveniatur, ut & ipſa rurſum univerſalitatem, ſignificet. Acri ſtudio enititur P. Pererius, ut divinum aliquod teſtimonium inveniat, quo demum diſtinctionem illam ſuam auctoritati ſaltem eſſe cohærentem oſtendat; iccirco laudat illud Levitici „ *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt quadraginta-novem*„. Judicet hìc lector, an in ea ſcripturæ ſententia particula *ſimul* ſignificet *generaliter;* & an voci *omnia* itidem adjiciatur, ut auctoritate divina probetur non inconſultò, non ſupervacaneè adjici poſſe. dicit Moſes ſepties & *Levit. 25.*

E ſeptem

ſeptem ſimul efferre quadraginta-novem ; quis ergo non agnoſcat probè, ibi particulam *ſimul*, non univerſalitatem, ſed ſimplicem numerorum unionem collectionemque indicare? ſubdit, in libro Numerorum ter quaterque particulam *ſimul* in perquiſita ab ipſo ſignificatione legi, immo in uno dumtaxat ejus ſacri libri capite, quod eſt 25. Legamus „. *Quod quum vidiſſet Phi-* Num. 25. *nees ſilius Eleazari filii Aaron Sacerdotis, ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingreſſus eſt poſt virum Iſraelitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet & mulierem in locis genitalibus* „. mirum ſanè eſt, adverſarios ipſos in rem noſtram propria ſtudia conferre, tum præſertim, quum magis infenſi eſſe videantur. Quis non videat eò loci particulam „*ſimul, temporis ſimultatem ſignificare, ut putavit Auguſtinus* „? nonne ibi diſertè narrat divina ſcriptura, eodem ictu, eodemve tempore mulierem & virum & ſauciatos eſſe ſimul, & ſimul occiſos? Sed particulam *ſimul* non ampliùs in hoc capite legimus; quare deceptus eſt Pererius dicens, eandem ibidem ter quaterque legiſſe, deceptus, inquam, fortaſſe in eo laudando divinæ ſcripturæ loco: plurimùm tamen nos ob eam deceptionem Dei providentiæ debemus, quippe quæ etiam adverſariorum erroribus Auguſtini ſententiam diſpoſuerit comprobare. Exſtat quidem in libro Numerorum caput 29. in quo quinquies legitur ea particula *ſimul;* ſemper tamen in aliqua numerorum ſupputatione legitur: & quem latet in ea cauſſa particulam *ſimul* non *omnia univerſaliter*, ſed plura unitim ducta, & ſimul accepta ſignificare? oggerit illud Pſalmi 13. „ *omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt* „. at quis non intelligat, eò loci Pſaltem regium duo mala deploraviſſe: hoc eſt, & declinaviſſe omnes, & omnes inutiles ſimul factos fuiſſe? porro duo illa, ſimul, eodemque tempore corrupiſſe homines mala, videlicet *declinationem* & *inutilitatem* divinus vates ingemuit. Inſtat rurſum ex Pſalmo 48. illud objiciens „ *ſimul inſipiens & ſtultus peribunt* „. ſi integrum tamen verſiculum illum legiſſet „ *Non videbit interitum,*

quum

quum viderit ſapientes morientes, ſimul inſipiens & ſtultus peribunt,, intellexiſſet, David ibi prædixiſſe impios ſapientum interitum non eſſe viſuros; ſed *ſimul*, id eſt, eadem mora & ipſos morte correptos cum ſapientibus interituros. Denique, ſi univerſa perſpiciatur divina ſcriptura, in qua minimùm ducenties repetita legitur particula *ſimul;* acceptione hujus compertum erit, ſemper multorum unionem, collectionem, ſocietatemque, nunquam tamen *univerſalitatem* ſignificari: ipſa quippe ad ſuum verbum relata, per quod in oratione ſemper aliqua vis, & aliquis motus exprimitur, unionem quampiam, ſive collectionem, ſeu ſocietatem nunquam non præſeferet, & indicabit. dum legimus, exempli cauſſa, de Angelis & Abraha „ *ſimul gradiebantur;* intelligimus, Angelos in eodem itinere ſocios fuiſſe Abrahæ. dum legimus de Moſe & Aaron „ *veneruntque ſimul*,, intelligimus, in adventu Moſis, eidem conjunctum & Aaron adveniſſe. & dum de victimis pacificis, deque libaminibus legimus,, *offerantur ſimul*,, in eodem ſacrificio & pacificas victimas & libamina offerri ſimul conſueviſſe intelligimus. atque adeo ubicumque particula *ſimul* appoſita adinvenitur, ſemper vel in eundem locum, vel in eandem actionem, vel in idem tempus multorum conſenſum ſignificat. Sed dato feliciore etiam ſtudio diligentiaque, particulam illam *univerſaliter* ſignificantem, aliquando in ſcripturis divinis deprehendi poſſe; nunquam haud dubiè cum addita voce *omnia* ad vota adverſariorum deprehendetur. inepta enim nimis loqutio eſt, ac propterea indigna Verbo Dei,, *omnia univerſaliter*,, quod idem eſt, atque „ *univerſa univerſaliter*,, dicere. Si dixiſſet Eccleſiaſticus „ *Qui vivit in æternum creavit res ſimul*„ indulgerem exponenti „ *creavit res univerſaliter*,, at quum dixerit „ *Creavit omnia ſimul*, *omnia* exinde *univerſaliter*, ſive *univerſa univerſaliter*,, exponentem facili animo pati non poſſum. hoc enim eſt ſupervacaneè & redundanter loqui, quod non Dei eſt, ſed hominis. & longè caveant recentiores, ne iſto explicandi gene-

Gen. 18.

re nuperis Heterodoxis cauſſam præbeant exprobandi, Eccleſiaſtici librum, non verbum Divinum, ſed humanum eſſe commentum. Nonnulli illud Eccleſiaſtici interpretantur de iis dumtaxat, quæ ſunt revera creata, hoc eſt, ex nihilo facta; nempe Terra, Cœlum, Aer, Aqua, Ignis, atque item Angeli: cetera verò, quæ non ſimili pacto condita ſunt, ſed ex aliis formata, utì Aſtra ex luce, maria ex aquis, plantæ ex terra, non *ſimul*, ſed deinceps producta fuiſſe fatentur. Hi expoſitores aliqua ex parte in Auguſtinianam ſententiam videntur propendere; & ſponte fatentur permulta a Deo eſſe creata *ſimul*, videlicet cœlum, aerem, ignem, aquam, terram; atque etiam angelos: ſcilicet, quod pace illorum dixerim, eos quoque ſpiritus unà cum reliquis creaturis ſimul creatos eſſe fatentur, quos ita creatos eſſe inficiari nulla ratione poſſunt. Nam, quum Moſes ſcripſerit „ *In principio creavit Deus cœlum & terram; terra autem erat inanis, & vacua* „ ex ea particula *autem*, quæ ſuapte natura exceptiva eſt, intelligimus planè, in illo creationis exordio cœlum ornatum, atque plenum fuiſſe; terram *autem* inanem fuiſſe & vacuam. at, quoniam in ſententia illorum dici nequit, luce, luminaribus, aſtriſve plenum, quæ poſteris diebus creata dicuntur; fateantur vel inviti neceſſe eſt, in rerum primordiis, angelis concreatis cœlum ornatum fuiſſe, atque item plenum. Neque item alia, quæ cum angelis ſimul creata eſſe tranſmittunt, in ea cauſſa dubia eſſe poſſunt. etenim ſtatim atque dixerit Moſes „ *In principio creavit Deus cœlum & terram*, adjecit „ *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, „ quibus verbis tametſi quamplures Spiritum-ſanctum ſignificari intelligant, tamen Tertullianus & Theodoretus *ventum* putant ſignificari, quippe qui non ſemel in divinis ſcripturis Dei ſpiritus nuncupatur, ut liquet ex illo „ *Flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ* „ quam quidem Baſilius & Dyodorus non improbant, quamvis alteram præferant, quæ eſt de Spiritu-ſancto, explicationem. & hac data ſententia, quis ſani ſincipitis ne-

negaverit unquam, primo die, hoc eſt in primo creatarum rerum exordio duo aeris & aquæ elementa creata fuiſſe? num comminiſci quis poterit, ſinè aere & aquis ventum excitari poſſe ſuper aquas? Sed eſtò; minimì faciant, utcumque libet, laudatorum Patrum ſententiam, & pro ſpiritu Dei ferente ſe ſuper aquas, non ventum, ſed Spiritum-ſanctum accipiant; num propterea poterunt non profiteri, a Deo & cœlum & angelos, & terram, & aquas creata fuiſſe ſimul? verùm neque munere illorum hanc Auguſtinianæ ſententiæ partem ſponte oblatam accipimus: ſed continuò ultra progredimur, reponimuſque, reliqua item omnia & ex nihilo, & ſimul a Deo fuiſſe creata. Mitto eſſe Chriſtianæ Fidei caput, animam humanam ex nihilo creatam fuiſſe; ac proinde & ipſam *ſimul* cum cœlo, angelis, aqua, & terra ſecundùm interpretationem adverſariorum fuiſſe productam: aſſerimuſque, lucem a Deo factam ex nihilo, non ſecus atque ea, quæ ab adverſariis ipſis ex nihilo producta cenſentur. etenim de luce non dixit Deus „ *Producat cœlum lucem* „ ſicut de ligno dixit „ *Germinet terra &c.* „ at legimus „ *Dixitque Deus, fiat lux, & facta eſt lux* „. Si ergo concedunt, creata eſſe ſimul, quæ ex nihilo verè creata ſunt, ipſam quoque lucem adjiciant neceſſe eſt; fateanturque, Deum creaviſſe ſimul, cœlos, angelos, aerem, aquas, terram, animam humanam, atque lucem. Inſuper demus, feciſſe Deum firmamentum ex diſpoſitione cœlorum, maria ex congregatione aquarum, aſtra ex collectione lucis: at quis dicere auſit, plantas, ceteraque animantia ex terræ coacervatione facta fuiſſe? legimus „ *Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem* „ idque ſatis eſſe deberet, ut ea a Deo facta ex nihilo crederemus, tametſi iiſdem multiplicandi virtus communicata fuerit. legimus etiam „ *In die, in quo fecit Dominus cœlum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra* „ ergo ipſa certitudine Fidei conſtat, plantas, quæ germinavit terra, in creaturarum exordio terram minimè germinaviſſe; ſed,

an-

antequam terra germinaret, a Deo productas fuiſſe. verè igitur Deus creavit plantas: atque iccirco, ſi adverſariis lubeat, creata eſſe ſimul, quæ verè propriè que ex nihilo creata ſunt, adjiciant & plantas; dicantque, a Deo creata eſſe ſimul, cœlos, angelos, aerem, aquas, terram, lucem, bruta, animam humanam, atque etiam plantas. ita ex neceſſaria unius ceſſione partis, integram demum Auguſtini ſententiam concedant, neceſſe eſt: unde ipſis, etiam in propria cauſſa, pateat quàm immeritò, quàmve illiberaliter illam ut *erroneam*, ut *inintelligibilem*, ut *vanam* rejiciant, atque traducant. Alii dicunt: propterea legi omnia creata ſimul, quia rerum omnium creatio breviſſimo temporis intervallo, hoc eſt ſex tantùm dierum ſpatio, confecta eſt, totaque illa temporis mora quodammodo *continuata*; ut quæ in eo ſexiduo facta ſunt, dici illo jure poſſint *quaſi* facta ſimul. Enixè expendenda ſunt duo illa verba *continuata*, & *quaſi*; ut ex primo falſitas, ex altero audacia commentatorum iſtiuſmodi perſpicua fiat. ſi enim rerum creatio integro illo ſexiduo quodammodo *continuata fuit*; dicendum ſanè eſt, Deum non momento dumtaxat primi diei creaviſſe lucem, ſed in eadem creanda primum integrum abſumſiſſe diem; itemque creatione lucis expleta, *continuato* ſubinde opificio, ad firmamenti productionem acceſſiſſe: quo quid falſius? quid verò audacius, quàm ſcripturis divinis particulam ullàm, ullum apicem quantumvis minimum vel demere, vel inſerere? Ea particula *quaſi* perſæpe ſacri ſcriptores utuntur, non ad æqualitatem, ſed ad quandam rerum ſimilitudinem exprimendam. ſic D. Joannes, ut ſignificaret, gloriam Chriſti ex Matre ſinè Patre in tempore nati, ſimilem fuiſſe gloriæ Verbi ex Patre ſinè Matre geniti in æternitate, appoſitè
Joan. 1. ſcripſit „ *vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a Patre* „. itaque ſi Eccleſiaſticus rerum creationem actioni, ut ajunt, ſimultaneæ ſimilem indicare voluiſſet, eam particulam appoſuiſſet ſcribens „*Creavit omnia quaſi ſimul*„ eandemque ab humano die ſibi ſuggerendam mi-

minimè exſpectaviſſet. Alii demum comminiſcuntur, dici „*omnia creata ſimul*„ propterea quòd Deus in ipſius creationis initio cuncta illa elementa fecerit, ex quibus cetera fiunt. atque ita ratiocinantur, omnia a Deo creata eſſe ſimul, quod ad ſubſtantiam, ſed non item quod ad ornatum, attinet. Poſſem hìc adverſariis opponere, omnes mundi ornatus, prout in elementorum ſubſtantia continentur, ex qua formati dicuntur, non plures, ſed unam cum elementis ſubſtantiam conſtituere: & quia hoc, quod eſt eſſe *ſimul*, non unius eſt, ſed multorum; ea, quæ cum elementis in ſubſtantia ipſa, non plura ſunt, ſed unum; ineptè *ſimul* creata in illa ratione eſſe exiſtimari. Verùm ad defendendam S. P. ſententiam adversùm iſtius generis interpretationem, referam adverſariis hoc dumtaxat unum; nimirum, in ipſa illud tantùm regeri, quod inter nos diſquiritur & diſputatur. Dicimus nos, & mundi ſubſtantiam, & mundi ornatum eſſe creata ſimul, dicunt ipſi, creata eſſe ſimul, elementorum ſubſtantiam, at non item ornatum. nos poſitionem noſtram cum D. P. Auguſtino ſtatuimus ex Eccleſiaſtico dicente „ *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul*„ aſſerimusque, vocem illam *omnia* nihil excludere; qui enim dicit omnia, univerſa dicit; ac proinde cùm elementorum ſubſtantiam, tùm ornatum includit. Adjiciunt, eſſe excludendos ornatus; ſed, quod ſummopere probare debent, adjiciunt, atque adeo nihil prorſus adjiciunt. Apertè igitur undequaque colligimus, D. P. Auguſtinum ſententiam ad litteram in divinis ſcripturis contentam docuiſſe; quippe qui docuit „ *Deum creaviſſe omnia ſimul*„ & quoniam hoc ipſum Eccleſiaſticus docuit; ille docuit, quod ab Eccleſiaſtico accepit. ergo auctoritati rationique conſonum eſt, quod docuit.

Digitized by Google

CAPUT VI.

I. Ex altero Geneſeos capite Auguſtini ſententia rurſum aſſeritur. II. Primum adverſariorum reſponſum diluitur. III. Item alterum improbatur. IV. Moſis atque Joannis collatis invicem teſtimoniis S. Patris doctrina iterum confirmatur. V. Ab adverſariorum objectis defenditur. VI. Ex libro Job aliud momentum pro eadem accerſitur.

I. AUguſtiniana de rerum creatione ſententia, non ſolùm cum divina Eccleſiaſtici auctoritate, verùm etiam cum Moſis ipſius verbis apprimè cohæret. In altero Geneſeos capite legimus „ *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ, quando creata ſunt in die, in quo fecit Dominus Deus cœlum & terram, & omne virgultum agri .... & omnem herbam regionis* „. hìc perſpicuè eodem die a Deo creata leguntur cœlum, terra, virgultum, & herba regionis. in primo libri ejuſdem capite cœlum & terra primo die creata referuntur, virgultum autem & herba tertio die; ac propterea ex duobus primis capitibus Moſis colligitur, diem primum & tertium unum fuiſſe diem. & quoniam illorum omnium dierum una debet eſſe ratio, ſimiliſque natura; quidquid de primo ac tertio die intelligitur, de quarto item reliquiſque diebus non abſimiliter intelligi debere manifeſtum eſt. quapropter divina ſacræ ſcripturæ auctoritas ſecundùm litteram conſiderata illa eſt, quæ cogit nos ad credendum, in primi diei principio Deum omnia creaviſſe ſimul; non ſolùm autem cœlum, terram, virgultum, herbamque, ſed etiam cetera omnia, quæ ſex diverſis diebus producta cenſentur. Hujus rationis momentum trutinare debent omnes illi, qui ſententiam dumtaxat oppoſitam indeclinabiliter teneri defendique debere loquuntur, obloquunturque, ſuccenſentes nobis ab litteræ ſimplicitate procul receſſiſſe. Utrique ſententiæ lit-

litteram reſpondere videtur: nam in primo Geneſeos capite, ubi plures adnumerantur dies, littera videtur opitulari docentibus, Deum diverſis dierum intervallis cuncta creaviſſe; & in altero ejuſdem Geneſeos capite, ubi dies unicus recenſetur, littera videtur favere docentibus, Deum ejuſdem diei initio omnia ſimul creaviſſe. Quum autem duo ſcripturæ textus ſeſe invicem pugnare videntur, receptiſſima tutiſſimaque regula eſt, ut illorum alter explicetur, & vox aliqua ſecus atque littera ſonat, accipiatur: quin etiam chriſtiana pietas jubet, in conciliandis ſcripturis, ſanctorum Eccleſiæ Patrum oracula eſse exploranda. In rei cauſsa pro utraque ſententia divinas ſcripturas explicantes Patres reperiuntur. alii enim docent, plures dies in primo Geneſeos capite recenſitos explicandos, & pro unico dumtaxat die accipiendos eſse: alii verò diem in altero capite conſcriptum explicandum eſſe dicunt, eundemque pro pluribus diebus debere uſurpari. Nos qui priores ſequimur Patres, non eos damnamus, qui poſteriores ſequuntur. quid igitur cauſſæ eſt, ut nos, qui priores ſequimur, tam illiberaliter increpent, notiſque cenſoriis inurant ii, qui ſequuntur poſtremos? Inſtant, urgentque, ab littera recedendum non eſſe. Reponimus: at ſi ipſi dies pro die accipientes ab littera recedunt impunè; cur & nos diem accipientes pro diebus, ab littera recedere item impunè non poſſumus? At ſileant tandem, quum præterea noverint, nos in Auguſtini ſententia, Divina veritate duce, ab litteræ ſimplicitate recedere. Dum illa duo teſtimonia ſcripturarum ſanctarum minimè cohærentia videntur, & in uno plures, in altero unicus dies exprimitur, nullam proferre poſſunt adverſarii divinam ſcripturam, qua Deum creaviſſe omnia ſucciſivè, ac propterea plures dies pro die unico accipiendos oſtendant. nos contrà, divinam ſcripturam habemus ediſſerentem, Deum omnia ſimul creaviſſe, ac proinde in pluribus diebus intelligi debere unicum diem.

II. Reponent illi, Divinas ſcripturas ſingularem pro

plurali numero plerumque uſurpare conſueviſſe, quamobrem illud *in die*, idem haud dubiè eſſe, atque *in diebus*. Attamen non is aſſerendi locus eſt, non ea cauſſa. oſtendant, innuant ipſi teſtimonia ſcripturarum oportet, quibus edoceamur, ea, quæ in diverſis diebus facta ſunt, *in die* facta narrari. Nos quidem ſcripturam univerſam excurrimus, & voces illas *in die* crebro repetitas invenimus; ſemper tamen ad opus aliquod in unico die vel inchoatum, vel completum eſſe referendas agnovimus. quòd ſi quidpiam diverſum inveniant, noverint, in ſacris ſcripturis ea etiam, quæ unico temporis momento peracta ſunt, aliquando *in diebus* peracta dici. In indiviſibili ullius diei momento Deus per inſpirationem ſuam loquebatur Prophetis; & tamen *in diebus* non ſemel eundem loquutum fuiſſe legimus. in momento Deus reſpexit Eliſabeth, ut ab ipſa auferret opprobrium, hoc eſt, ut conciperet pareretque filium, & tamen legimus, *in diebus* reſpexiſſe Deum. quum igitur, & quæ facta ſunt in diebus, facta dicantur in die, quæque item in momento diei facta creduntur, ſcribantur facta in diebus; ita ut non ſolùm ſingularem pro plurali, ſed etiam pluralem pro ſingulari numero in divinis ſcripturis perſpiciamus; adhuc ſub judice lis noſtra erit, an in primo Geneſeos capite accipi debeant plures dies pro unico die, an verò in altero unicus dies pro pluribus diebus. Exigat modò ad amuſſim exactiſſimam veritatis probus candiduſque lector, an poſſit debeatque jure reprehendi Auguſtinus, quòd primum Geneſeos caput altero ejuſdem capite explicaverit; concilianſque mutuò Geneſim atque Eccleſiaſticum, docuerit, facta *in die* ea, quæ *ſimul* facta fuiſſe creduntur.

III. Adjiciunt alii, Deum creaviſſe cœlum, & terram, etiamque virgultum agri, non *in actu*, quod ſcholæ ajunt, ſed *in potentia*; atque iccirco ſubdi putant, „ *antequam oriretur in terra* „. Quum reſponſum iſtud ſit Doctoris Angelici, meritò nihil eidem eſſet addendum. Sed Auguſtinianæ ſententiæ D. Thomæ

mi-

minimè præbente refragantem ſe, ſed potiùs utriuſque opinionis momentis reſpondere ſatiùs ducente; tanti Doctoris conſilio laudatum illud reſponſum diluimus; dicimuſque. Si Deus in die, quo cœlum terramque creavit, virgultum creavit tantùm *in potentia;* cedo: quandonam idem *in actu* creavit? num die tertio? ſed de tertio die hæc ſcribit Moſes „ *Et ait: germinet terra herbam virentem & facientem ſemen; & lignum pomiferum juxta genus ſuum*„. Ex hiſce verbis non colligitur Deum in eo die *actu* virgulta produxiſſe; ſed duntaxat terræ dediſſe germinandi virtutem, quod eſt virgulta tantùm *in potentia* producere. quandonam igitur *actu* produxit virgulta Deus? ſit hìc mihi animo præſens cordatiſſimus lector. Cunctas res creatas a Deo creatas fuiſſe atque formatas recenſuit divinus Propheta Moſes. de cœlo terraque ſcripſit„ *Creavit cœlum & terram*„. de luce „ *Facta eſt lux*„. de firmamento „ *Et fecit Deus firmamentum*„. de mari „ *Congregentur aquæ, & factum eſt ita*„. de luminaribus „ *Fecitque Deus duo luminaria, & ſtellas*„. de piſcibus, volatilibus, reptilibus, cunctiſque terræ animantibus ſcripſit „ *creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem. Et fecit Deus beſtias terræ &c. & jumenta, & omne reptile*„. ac demum de homine „ *Et creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*„. quare quamlibet rem creatam *actu* a Deo factam fuiſſe ſcripſit Moſes; at virgulta, herbas, & ligna non item. non enim legimus: Et produxit Deus virgulta, herbas, & ligna; ſed legimus„ *Et ait; germinet terra herbam virentem &c.*„ quod non eſt *actu* producere, ſed producendi virtutem communicare. idque in cauſſa fuit, cur Moſes acta regerens in altero Geneſeos capite, non de luce, aut firmamento, aut luminaribus, aut beſtiis, aut homine, ſed de plantis dumtaxat ſcripſerit „ *In die, in quo creavit Deus cœlum & terram, & omne virgultum agri*„. retulit nimirum *in actu* a Deo creata virgulta illa, quæ in primo capite *in potentia* dumtaxat creata retuliſſe videbatur. Tantum igitur abeſt, Moſem, in

laudato textu ab adverſariis, intelligi voluiſſe producta eodem die cœlum terramque *in actu*, virgulta verò herbaſque *in potentia;* quin potiùs dicendum ſit, ibi Moſem *in actu* producta oſtendere voluiſſe, quæ in primo capite, tanquam *in potentia* producta, videbatur recenſuiſſe, ne quis exinde decipi poſſet credendo Deum non, ſicut cetera, plantas itidem produxiſſe, ſed dumtaxat terræ producendi virtutem indidiſſe. Quo autem pacto verum ſit, & pro inſtituto noſtro ſacræ litteræ apprimè conſonum, Deum omnem herbam regionis, omneque virgultum agri creaviſſe, antequam terra germinaret, ipſaque orirentur ex terra, infra expendemus. Si ergo eodem prorſus die cœlum, terram, virgulta, omnemque herbam regionis completè a Deo creata fuiſſe narrat Moſes, magis magiſque munitur Auguſtini ſententia, invictèque ſtatuitur, Deum non pluribus diebus, ſed unico die, immo unico diei momento exſerentem divitias omnipotentiæ ſuæ univerſa ſimul produxiſſe. Atque hìc facili animo humaniſſimus mihi lector indulgeat, ut tanti Magiſtri doctrinam diſcipulus ipſe longè abjectiſſimus omnium præcipuo excogitatæ rationis momento iterum aſſeram, atque communiam. Scripſit Moſes „ *Plantaverat autem Deus Paradiſum voluptatis a principio* „. Quidnam pro Principio illo intelligent adverſarii? P. Cornelius a Lapide, qui inter Auguſtini adverſarios potiores ſibi defert partes, explicat illud *A principio;* commentaturque, „ *A principio, hoc eſt tertio die* „. qua in re obteſtor, lector optime, fidem eruditionemque tuam. Si Auguſtini adverſarii eo explicationum genere divinam ſcripturam ad litteram explicent; quis ad litteram, quæſo te, non explicaverit unquam? næ illud nos *A principio* probè ad litteram explicamus, pro principio intelligentes principium: quippe dicimus a principio, in quo cœlum & terra a Deo condita ſunt, plantatum item fuiſſe Paradiſum. Illi ſanè legunt *A principio*, & pro principio non intelligentes principium, ſed tertium diem, autumant, die tertio Deum paradiſum plantaviſſe: atque,

quod

quod mirum eſt, ſeveri ſubinde cenſores redarguunt Auguſtinum, quòd in ſimplici hiſtoriæ narratione non acceperit „ *verba ſicuti ſonant* „. ipſi interea, puræ ſimpliciſque Litteræ religioſiſſimi tenaciſſimique expoſitores, nihili pendunt in uno Geneſeos divinæ capite & pro die unico hebdomadam integram accipere, & tertium diem pro Principio explicare.

IV. Ad eam ſententiam fortiùs roborandam plurimum conferunt duorum ſcriptorum, David, & Joannis teſtimonia, qui præ omnibus Deo dilectiſſimi habiti ſunt. Illius, quia cecinit „ *Ipſe dixit, & facta ſunt* „. Pſal. 32.
Hujus, quia ſcripſit „ *omnia per ipſum facta ſunt* „. quod Joan. 1.
cecinit David, Deum dixiſſe, reſque factas fuiſſe, optimè cohæret cum narratione Moſis, qui cujuslibet rei creationi appoſuit „ *Et dixit Deus* „. quod autem Joannes ſcripſit, explicat, edocetque, Dicere Dei, non per Verbum creatum, ſed per increatum Verbum fuiſſe, hoc eſt per Unigenitum Filium Ejus, de quo ſcripſit „ *Omnia per Ipſum facta ſunt* „ quibus innixa ſincera Fides colligit, tum Deum creaviſſe omnia, quum verum fuit, dixiſſe Deum; Deum autem dixiſſe Verbo ſuo conſubſtantiali atque divino. Quæ, quum ita ſint, quis non percipit per Verbum divinum, infinitum, immenſum cuncta ſimul produxiſſe „ *In æternum Viventem* „ qui eodem Verbo cuncta ſimul expreſſit? Orthodoxi ſcriptores deberent meminiſſe, Eccleſiam ſanctam Dei dirè olim vexatam fuiſſe, & etiamnum, proh dolor! vexari ab impiis Arrianorum erroribus; quos Doctor optimus Auguſtinus refellit invicta vi, demonſtrans „ *non factum Verbum illud, per quod facta ſunt omnia* „ & exinde obviis, quod ajunt, ulnis excipere Auguſtinianam de Mundi creatione ſententiam, quæ Arrianorum commenta herculea, ut ita dixerim, vi diſcerpit undequaque, fundituſque convellit. nam ſi dixerimus, Deum per Verbum ſuum cuncta ſucciſivo opere produxiſſe, hoc eſt modò lucem, modò firmamentum, modò plantas, modò luminaria, atque animantia modò; quì ſatis detrectare, refragarique po-

teri-

terimus, quin heterodoxi comminiſcantur finitam limitatamque virtutem, tametſi impiè, tametſi falsò, in Verbo illo, per quod, non ſecus atque per Verbum creatum, aliud poſt aliud exprimitur, & poſt aliud efficitur aliud? Sin autem cum Auguſtino dixerimus, Deum Verbo ſuo omnia produxiſſe ſimul; obmuteſcant Arriani neceſſe eſt, fateanturque, divinum eſſe Verbum illud, atque adeo infinitum, immenſum; per quod „ *Semel loquutus eſt Deus* „ & per quod item „ *Omnia facta ſunt* „. En quibus potentiſſimis armis, ſiquidem in Auguſtinianam ſententiam ierint, ſartum tectumque ſervare Depoſitum Fidei noſtræ valebunt Orthodoxi ſcriptores. Nonne nunc quoque temporis in cordibus multorum Arriana funeſtiſſimè fervet impietas? quid igitur eſt, quòd novas ſibi accerſere vires tam frigidè ſtudent Fidei Catholicæ defenſores? tametſi pro Auguſtiniana ſententia omnia, quæ adſunt, deeſſent rationum momenta; hoc unum demum ſatis ſuperque nos movere deberet, ut illam quodam, ut ita dixerim, animi ardore proſequeremur; videlicet ſæviſſimos Fidei hoſtes invictiſſima vi adoriri, expugnare, proſternere.

V. Neque dicant Adverſarii, iſtud rationis momentum nimis redundare, ſibique velle nimis: quippe ſecum ferat, non ſolùm Deum per Verbum ſuum omnia creaviſſe ſimul, ſed etiam omnia ſimul creare debuiſſe; perinde quaſi neceſſe fuerit ſimul omnia produci per Verbum illud, per quod exprimuntur omnia. ne hæc, inquam, dicant. reponimus enim, tunc Deum per Verbum ſuum creaturam aliquam reapſe producere, quum Ipſe & *dicit*, & *mandat*; ſcriptum eſt enim „ *Dixit & facta ſunt, mandavit & creata ſunt* „. quare ad rerum productionem requiritur & rei expreſſio, quæ fit, dum *dicit* Deus; & præceptum operis, quod habetur, dum Deus *mandat*. itaque infinita ſui perfectione omnes etiam poſſibiles creaturas exprimit Verbum; ſed enim quandocumque illas exprimit, non producit, quia Præceptum non additur expreſſioni, quia

Dicit,

Dicit, non *Mandat* Deus. Ergo fatemur, potuiſſe quidem Deum modò unam, alteram deinceps producere creaturas;credimus tamen, ad Verbi ejuſdem perfectionem plurimùm pertinere, ut, dum hæc creatura producitur, perfectè per Illud perfectiſſimum producatur; ac propterea mandaviſſe Deum, ut, hoc mundo producto, alius poſſibilis mundus expreſſus in Verbo non item produceretur, quia hujus perfectio ad alterius perfectionem minimè conferre videretur: decentiſſimum autem atque convenientiſſimum eſſe immenſitati Verbi divini, putare, non mandaviſſe Deum, ne mundi hujus omnia, quæ conferunt ad illius perfectionem, ſimul producerentur per Ipſum. quid enim confert in majeſtatem, & omnipotentiam ſuam, in Verbum Dei, ſubſtantiam modò, deinde mundi ornatum producere? quid uno die creaviſſe, quæ cœlum ornant, altero quæ aerem, tum quæ aquas, demum quæ terram ornant? profectò iſtæc omnia Arrianorum deriſiones excitant; quæ reticeſcent omnino, ſi ex Auguſtino dicamus, Deum per Verbum ſuum „ *Dixiſſe, Mandaviſſe*„ & quia Verbum per quod *Dixit*, & *Mandavit*, omnia ſimul expreſſit, per idem Verbum omnia ſimul produxit. quamobrem regius Pſaltes vocibus iis *dixit*, *mandavit*que, non unam dumtaxat rem factam creatamque, ſed omnia *facta creataque* appoſuit, „ *Dixit & facta ſunt*, *mandavit & creata ſunt*„. undè liquet, quàm meritò ſcripſerit Auguſtinus „ *Non ergo Deus toties dixit fiat illa, vel illa creatura, quoties in hoc libro reperitur: Et dixit Deus; Unum quippe Verbum Ille genuit, in quo dixit omnia, per quod facta ſunt ſingula. Sed eloquium ſcribentis deſcendens ad parvulorum capacitatem, dum inſinuat ſingillatim genera creaturarum, per ſingula reſpicit unius cujuſque generis rationem in Verbo Dei*. *De Gen. ad lit. l. 2. cap. 6.*

VI. Supereſt nunc pro Auguſtiniana ſententia alia expendenda ratio, quæ eruitur ex illo Job „ *Ecce Behemot, quem feci tecum*„. etenim ſi Behemot, quemadmodum Eugubinus, & Titelmannus docent, *Beſtiam* ſignificat, & *Beſtia* in ſacris litteris pro Diabolo non ſe- *Job 40. Pineda in Job c. 40. v. 10. n. 6.*

mel

mel accipitur; plurimorum interpretum amplectenda expoſitio eſt, ibi nimirum nomine Behemot Diabolum ſignificari; de Diabolo quippe intelligenda ſunt ea, quæ ſubjiciuntur, verba „ *Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium ejus* „. qua quidem in re conciliari optimè poſſunt diverſæ ſacrorum interpretum expoſitiones; videlicet, & illorum qui nomine Behemot dæmonem, & aliorum qui elephantem accipiunt. dici enim poteſt, eò loci divinam Scripturam dæmonem ſub elephantis allegoria deſcribere, propterea que & elephantem & dæmonem Behemot voce ſignificari: elephantem nimirum tanquam ſimilitudinem explicantem, & dæmonem tanquam rem ipſam explicatam. Neutra igitur earum expoſitionum excludi, ut falſa poteſt; ſed ex utraque potiùs hoc dijudicari: dæmon creatus eſt ſimul cum cœlo primo die, & homo creatus eſt de terra ſexto die; ſi ergo homo cum dæmone creatus eſt ſimul; haud dubiè dies ſextus, in quo creatus eſt homo, idem eſt atque primus, in quo creatus eſt dæmon. igitur dies primus & ſextus non ſunt unus & alter, ſed eſt unicus dies. Ut hujuſce momenti vim elidant, ſeu potiùs eludant adverſarii, divinum illud oraculum mirum in modum torquent; ajuntque, non aliud penitus ſibi velle, niſi hoc quod eſt, Deum creaviſſe dæmonem *ſicut* hominem; ſeu Deum creaviſſe dæmonem *ſicut* hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. ex quibus conſtat in ſenſu illorum idem eſſe *tecum*, atque *ſicut*. qua verò id ratione manifeſtum faciant, quave auctoritate confirment, hactenus clam me, clam omnes eſt. Nobis quidem ſatis perſpectum exploratumque eſt, particulam *tecum* pro *ſicut* uſurpari minimè poſſe; quapropter illud rationis momentum, ſimplici adverſariorum contradictione nulla ex parte concuſſum, adverſariis ipſis rurſum ingerimus. Urgebunt, eò loci ſcripturam non dæmonem, ſed elephantem ſignificare, qui cum homine dici creatus revera poteſt; quia eodem die ſexto & beſtias terræ, & hominem creavit Deus. Verùm, ut ſupra di-

ximus,

ximus, ea voce Behemot ſignificatur elephas, tanquam ſimilitudo ad explicandum accepta, non tanquam res ipſa per eandem ſignificata. quare iterum inſtauratur præcipua percunctandi ratio, qui nimirum fieri poſſit, hominem rectè dici cum dæmone creatum; quandoquidem dæmon factus eſt primo die, & ſexto die ſecundùm litteram Moſis factus eſt homo.

CAPUT VII.

I. Pro S. Patris ſententia novum ab reticentia Moſis argumentnm ducitur. II. Ex altera item ejuſdem reticentia, alterum. III. Præcipua Alberti Magni animadverſione plura pro iiſdem comprobantur, atque ediſſeruntur.

I. NOn deſunt pro Auguſtiniana ſententia alia rationum momenta; quantumvis illam omnis rationis expertem vocitent adverſarii. Me tamen judice, maximi penſi ratio ea habenda eſt, quæ ex eodem Auguſtino narrationem Moſis undequaque expendente depromitur. Narrans Propheta Dei ſacram creationis hiſtoriam, & ſuum unicuique operi adtribuens diem, ſcribit „ *Factum eſt veſpere & mane dies unus; factum eſt veſpere & mane dies ſecundus* „ idem de reliquis habens: quocirca non modò Auguſtinus, verùm etiam omnes ſacri interpretes docent, veſperam ad antecedentem, mane ad ſubſequentem diem pertinere; ita, ut in adverſariorum ſententia Lucem Deus mane creaverit, atque in progreſſu primi diei perventum eſſe ad veſperam, ex veſpera deinde ad mane, quod eſt diei ſubſequentis initium. Aſt in Auguſtini ſententia, Deus omnia ſimul primi diei mane cum ipſo mane creavit; Angelica verò mens cognitione obſcura opus in ſeipſo cognovit; eaque cognitio propter ſui obſcuritatem dicta eſt veſpera: deinde ad Verbum converſa idem opus in Verbo co-

gnitione clara cognovit; eaque cognitio propter ſui claritatem mane eſt nuncupata. Ex utraque iſta ſententia cauſſa manifeſtè enitet, ob quam Moſes primùm veſperam, ac deinceps mane nuncupaverit. In oppoſita ſententia dicitur, hoc ideo factum eſſe, quia incepto temporis motu a primo mane, ejuſdem motus progreſſus pervenit priùs ad veſperam primi diei, & poſtea ad mane alterius diei; & quia inter mane primi diei, & mane alterius diei vigintiquattuor horarum intercedit ſpatium, appoſitè ſcripſerit Moſes, *Factum eſt veſpere & mane dies unus*, In Auguſtiniana ſententia dicitur, ideo Moſem priùs veſperam ac deinceps mane nominaviſſe, quia Angelica mens primùm cognitione obſcura, atque iccirco veſpertina, opus in re ipſa cognovit; ac poſtea ad Deum converſa cognitione clara, ſcilicet matutina, opus cognovit in Verbo. Huc uſque utraque ſententia explicat ſervatque probè Moſaicam narrationem. Verumtamen, ſi progrediamur ulteriùs, mirè emicat uberiori luce conſpicua Auguſtiniana ſententia. Progrediens divinus Propheta Moſes a primo ad alterum, ab altero item uſque ad ſextum creationis diem, æquè, ac de reliquis, de ipſo ſcribit, *Et factum eſt veſpere, & mane dies ſextus*, procedens ſubinde de ſexto ad ſeptimum diem, cujus exordium in prænarrato poſt veſperam ſexti diei mane recenſuerat, veſperam non item recenſuit; neque enim ſcripſit, *Et factum eſt veſpere & mane dies ſeptimus*, quòd ſi ſeptem illi omnes dies a Moſe recenſiti; ſunt æquè veri, naturaleſque dies; cur & diei ſeptimi, ſicut cujuſcumque alterius præcedentis diei non retulit *veſpere & mane?* ſcripſit, *Et requievit Deus die ſeptimo &c.*, addicitur aliis diebus opus, diei autem ſeptimo quies addicitur, & quamvis Moſes ſex illorum dierum exemplo operis terminum præfiniat hominibus, hujuſque diei ſeptimi exemplo quietis & ſanctificationis tempus eiſdem præfiniat; præcedentium tamen dierum memorat mane & veſpere, & de ſeptimo die nuſquam legitur illud, *Factum eſt veſpere & mane dies ſeptimus*. Is,

cui

cui perſuaſum eſt, nihil quidpiam reperiri in ſcripturis ſanctis, quod temerè, quodve ſupervacaneè ſcriptum ſit; quotieſcumque deprehendet, nonnulla in illis omitti quæ aliàs ſolerent apponi, nonnulla item apponi quæ aliàs ſolerent omitti; inconcuſsè credet, non ſinè divino conſilio & ea, quæ apponuntur apponi, & ea, quæ omittuntur, omitti. Quamobrem hic pro inſtituto noſtro dicendum eſt, propterea Moſem diei ſeptimi veſperam ac mane nequaquam recenſuiſſe; ut ibi aliquod myſterium introſpicere, aliquam veritatem explorare, atque explicare poſſemus. Quæ, quum ita ſint; cedo, cur id reticuit Moſes? reſpondeant adverſarii, cauſſamque dicant, neque deſint ſibi, quid eſt quod Moſes diei ſeptimi, cujus indicavit mane ſcribens „ *Factum eſt veſpere & mane dies ſextus* „ non item indicavit veſperam, neque enim ſubdidit „ *Factum eſt veſpere & mane dies ſeptimus* „? ſi judicio illorum, dies quoque ſeptimus eſt naturalis dies, dies quoque ſeptimus, præter ſolis ortum, habebit ſolis occaſum. quamobrem igitur tribuitur eidem mane, quod eſt ſolis ortus; & non tribuitur veſpera, quod eſt ſolis occaſus? nequidquam adverſarii exſudant in ea exquirenda cauſſa, quam nunquam poterunt adinvenire: illam porrò invenient, uno Auguſtino duce. Diei nomine operis cognitionem intellexit Moſes. Sexti diei, in quo ſcripſit, Deum animantia & hominem creaviſſe, & veſperam recenſuit atque mane, ſicut ceterorum dierum recenſuerat: quia ſcilicet angelus & opus in ſeipſo veſpertina cognitione cognovit, & cognitione matutina idem opus cognovit in Verbo. Septimi autem diei, in quo per Moſem nihil operatus eſt Deus, immo ab omni, quod patraverat, opere requievit, cum veſpera antecedentis diei deſcribitur mane: angelus enim, poſtquam hominem in ſeipſo obſcurè cognovit, clarè eundem cognovit in Verbo. & quoniam poſt creati hominis cognitionem, non aliud Dei opus vel in ſe, vel in Verbo cognoſcendum deſignatur; non aliud præterea veſpere & mane deſcribitur. Narrat, in die ſeptimo Deum re-

requieviſſe, & quia divina quies opus non eſt, quod in ſe cognoſci poſſit obſcurè, ſed in Deo ipſo ab angelo perpetuò, invariabiliter, clariſſimèque cognoſcitur; in illo quietis die nec nominari quidem debere veſperam Moſes judicavit. Perſpiciant inde, percipiantque probè adverſarii; qua demum felicitate reliqua divinarum ſcripturarum momenta expendantur, ubi quidquid longè diviniſſima mente Auguſtinus expenderit, non ſtudio partium, ſed amore veritatis expenditur.

II. Alia eſt momentoſa reticentia Moſis, qua itidem D. P. Auguſtini ſententia mirificè fulcitur, atque roboratur. Quum enarraviſſet Moſes creatam lucem, eamque diviſam a tenebris, ſcribit Deum vocaviſſe,, *lucem diem, & tenebras noctem*,, luminarium item formationem deſcribens, ſcribit eadem feciſſe Deum,, *ut præeſſent diei ac nocti*,, nempe,, *luminare majus, ut præeſſet diei, luminare minus, ut præeſſet nocti*,, ex quo duplici loco apertè colligitur, Moſem diviſionem temporis in dies noctesque indicaviſſe. attamen enumerans elapſas temporum moras, tametſi unicuique diei veſperam & mane concedat, interque mane ac veſperam interſint tempora diei, inter veſperam autem atque mane interſint tempora noctis, nunquam recenſet noctem cum die.. ſcribit,, *Factum eſt veſpere & mane dies unus*,, nuſquam tamen: Factum eſt veſpere & mane dies & nox una. Neque hìc, ait Auguſtinus, dicendum eſt, diem claudere vigintiquattuor horarum tempus, ac propterea diem noctemque: quia in hac creationis hiſtoria Moſes diem diſtinguit a nocte, & ſemel iterumque diſtinguit. neque unquam meminit diei ullius, qui diem ac noctem includat. Cur igitur idem ſcriptor Moſes, qui ſemel iterumque in eodem capite diem a nocte ſecernit, tam exactè dividens tempora in veſpere & mane, non item in diem dividit atque noctem? Hiſce utique poſſunt regerere adverſarii nonnulla, ſed futilia, ſed commenticia, quæque divinent potiùs, quàm revera explicent, & interpretentur oracula ſcripturarum. Enimvero D. P. Auguſti-

nus

nus ex ſententia ſua profert omnino laudatæ reticentiæ rationem omnium validiſſimam probatiſſimamque. quippe docet, in rei cauſſa a Moſe nominari veſperam propter obſcuram angelorum cognitionem in ipſa re; nominari mane propter claram angelorum cognitionem in Verbo Dei; nominari diem propter manifeſtationem operis duplici cognitione peractam; non autem nominari noctem, angeli enim in Verbo Dei cognoſcunt manifeſtiſſimè atque perpetuò omnia opera Illius, quapropter creatorem optimum jugiter benedictionibus & laudibus proſequuntur; neque unquam in eorundem mentibus manifeſtationis privationem reperire eſt, quæ nox dici poſſit. „ *At ſic uſque in mane* (do Auguſtini verba) *ſexti diei, ut incipit ſeptimus quietis dies, quamvis ſint cum ſuis noctibus, dies tamen, non noctes narrantur: tunc enim nox ad diem pertinet, non dies ad noctem, quum ſublimes & ſancti angeli, id quod creatum in ipſa creatura noverunt, referunt ad illius honorem & amorem, in quo æternas rationes, quibus creatum eſt contemplantur; eaque concordiſſima contemplatione, ſunt unus dies, quem fecit Dominus, cui conjungetur Eccleſia de hac peregrinatione liberata, ut & nos exultemus & jucundemur in eo.*

III. Ad majorem tamen noſtræ hujus ſententiæ claritatem juvat hìc cum Magno Alberto obſervare, D. P. Auguſtinum non intellexiſſe pro mane clariorem dumtaxat angelorum cognitionem in Verbo Dei, quæ fit, ſimul atque angelus, cognita creatura in ſeipſa, ad Deum convertitur, eandemque in Ipſius Verbo cognoſcit: verùm etiam in mane ipſo, quemadmodum & nos ſuperiori tertio capite innuimus, intelligit operis præparationem, & ſemi-claram quandam ejuſdem faciendi operis cognitionem in divino Verbo; quam indicari dicit Moſaicis illis verbis „ *Dixit Deus: Fiat* „. Quod ut intimè magis rimemur, invicem conferamus oportet diem tropicum, naturalemque diem. Dies naturalis habet mane ſuum, quod item eſt diei præcedentis terminus, & diei ſubſequentis initium: quare dum Moſes ſcribit „ *Factum eſt veſpere & mane dies unus* „ in

illo

illo eodem mane & finem primi diei deſcribit, & alterius exordium. itaque in mane, quatenus eſt diei ſubſequentis initium, conſideravit Auguſtinus angelicam cognitionem, operis faciendi præparationem in Verbo dumtaxat attingentem: in mane autem, quatenus diei antecedentis eſt finis, conſideravit clariſſimam angelorum cognitionem jam plenè attingentem conſummationem operis in Verbo Dei. Ex hiſce præcipua quædam in litteram Moſis conſideratio depromitur, qua Auguſtiniana ſententia mirificè roboratur. Scribens Moſes „ *Factum eſt veſpere, & mane dies unus* „ in eo mane indicat Moſes, utì diximus, & finem primi diei, & diei alterius initium; atque adeo mane, quod eſt primi diei principium, non indicavit Moſes. Rati ſunt omnes, Deum primo mane, hoc eſt initio primi diei unà cum ipſius diei initio cœlum terramque creaviſſe; verùm hoc primum mane alto ſilentio occulitur ab ipſo Moſe. Si de altera iſta reticentia præcipua cauſſa perquiratur, adduci minimè poteſt ab iis qui oppoſitam Auguſtino ſententiam ſelegerunt. perſpicuè tamen ac profundè ſimul, utì ſatìs diſertè fatetur Albertus Magnus, eruitur ex Auguſtini ſententia. Siquidem primum Dei opus enarratum a Moſe eſt ſpiritualis lux, Angelica nimirum natura. Hujus autem primi operis nulla potuit eſſe cognitio, per quam velutì præparatum, ſeu faciendum attingeretur in Verbo: proinde nominari neque potuit nec debuit primum illud mane, quo operis ſeu præparati, ſeu faciendi cognitio ſignificatur. neque itidem nominari potuit primum mane, quod operis conſummati, jam cogniti in ſe, cognitionem in Verbo ſignificat: quia ſicut primum mane, quod eſt initium primi diei, nullum mane nullumve antecedit veſpere; ita primam primi operis cognitionem nulla antecedit cognitio. Itaque in Auguſtini ſententia non ſolùm ea omnia explicantur, quæ ſcribuntur a Moſe, ſed etiam proferuntur cauſſæ cur quamplurima, quæ ſcribenda videbantur, ſcripta non ſint. Undè Auguſtiniana de rerum creatione ſen-
ten-

tentia,ea demum eſt,ut non ſolùm quæ dicit,ſed ea etiam quæ non dicit Moſes,explicet, atque interpretetur.

CAPUT VIII.

I. Altera Auguſtinianæ ſententiæ pars ſtatuitur, & comprobatur. II. Primum quoad plantas. III. Tum quoad Bruta. IV. Demum quoad hominem. V. Validiſſimo item argumento munitur.

I. ALteram Auguſtinianæ ſententiæ partem, quam ferè omnes adverſarii alto ſilentio prætereunt,exterriti fortaſſe auctoritate divinorum verborum, quibus illam invictè munitam protulit Auguſtinus, mens eſt hìc modò expendere, atque comprobare. Prima igitur, quæ pro eadem initur, ratio, ea eſt, quæ ex altero Geneſeos capite promitur; in quo a Moſe non ſolùm per recapitulationem ſcribitur,, *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ &c.*,, ſed repetitur etiam, Deum produxiſſe ligna, animantia, & hominem; quippe legimus,, *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave*. &, *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cœli*. demum, *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*.

II. Quod igitur ad plantas attinet, ſi in primo laudato divinæ ſcripturæ textu legimus, Deum creaviſſe,, *omne virgultum agri, antequam oriretur in terra*,, idque ad ea, quæ leguntur in primo Geneſeos capite, referamus, nempe,, *Protulit terra herbam virentem, facientem ſemen juxta genus ſuum &c.*,, continuò exquiri debere cognoſcimus, quandonam terra herbam illam, ſeu illa virgulta protulerit? & quandonam Deus ipſe herbam atque virgulta produxerit,, *antequam orirentur ſuper terram?* demum, quando *ſuper terram*,, herba, & vir-

virgulta exorta fuerint? Hiſce poſtulatis omnibus ex Auguſtini ſententia ſatisfacimus optimè, aſſerentes, eodem temporis momento Deum produxiſſe; terram autem herbas ac virgulta atque ligna protuliſſe: adhuc autem ea orta non erant ſuper terram, etenim quum primùm Deus illa produxit, & protulit, illico tunc acceperunt primum eſſe in rationibus ſuis cauſſalibus latenter, & inviſibiliter; quum verò ſuper terram orta ſunt, eſſe illius incrementum acceperunt, atque exin in propriam ſpeciem perfectam, atque aſpectabilem eruperunt; viſa jam tum veſtita foliis, decorata floribus, locupletata fructibus. propterea Deum illa produxiſſe, antequam orirentur ſuper terram, perinde eſt, ac eiſdem Deum primum illud eſſe latens in cauſſis, dediſſe, & deinceps eſſe aſpectabile extra cauſſas erutum explicatumque contribuiſſe. Huc etiam mirificè confert illa repetitio „ *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave*„ & ad rem aptiùs, ſi cum D. P. Auguſtino penes ſeptuaginta legimus„ *Ejecit adhuc de terra omne lignum pulchrum ad aſpectum*„ expendenti enim diligenter duo illa verba *ejecit adhuc*, duplici rurſum ratione è veſtigio probatur Auguſtini ſententia. nam verbum illud *ejecit* non ex nihilo exprimit creationem, ſed ex eſſe aliquo latenter inſerto cauſſis externam rei in aſpectum manifeſtationem. alterum autem verbum *adhuc* indicat profectò non eam in ligno primam fuiſſe Dei operationem, ſed *adhuc*, hoc eſt iteratò, altera vice in ligno tunc fuiſſe operatum. *Hoc eſt* (inquit Auguſtinus) *ejecit adhuc, ſuper illud ſcilicet, quod jam ejecerat*„ ejecit ab occulto ad aſpectum, quod jam ex nihilo ad eſſe ejecerat. quod tunc „ *potentialiter & cauſſaliter in opere pertinente ad creanda omnia ſimul, a quibus conſummatis in die ſeptimo requievit*, nunc ejecit *viſibiliter in opere pertinente ad temporum curſum, ſicut uſque nunc operatur*.

III. Quantum verò ad Beſtias, eadem vi ex eodem Geneſeos capite alia pro Auguſtini ſententia ratio deſumi-

ſumitur. quod enim in Latina vulgata legimus „ *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cœli* „ in Septuaginta verſione, qua uſus eſt Auguſtinus, legimus,, *Finxit Deus adhuc de terra omnes beſtias agri, & omnia volatilia cœli, & adduxit illa ad Adam, ut videret quid vocaret illa* „. ex quibus infertur, ſatis perſpicuè, quas Deus produxit, beſtias *adhuc* finxiſſe, quod nonniſi in Auguſtini ſententia poteſt verificari; quippe in illa aſſeritur una, Deum priùs produxiſſe beſtias latentes in ſuis rationibus cauſſalibus, ac ſubinde eaſdem viſibiliter in propriam & aſpectabilem ſpeciem atque figuram ejeciſſe, explicaviſſe. Quapropter hic non immeritò repetit Auguſtinus „ *Aliter ergo tunc, id eſt potentialiter atque cauſſaliter, ſicuti illi operi competebat, quo creavit omnia ſimul, a quibus in die ſeptimo requievit: aliter nunc, ſicut ea videmus, quæ per temporalia ſpatia creata uſque nunc operatur*„ Quòd ſi præcipuę etiam conſiderationi noſtræ ullus hic queat eſſe locus; adjicimus, etiam ex ipſa vulgata, & ex eodem primo Geneſeos capite Auguſtini ſententiam muniri, & confirmari. Nam eò loci legimus,, *Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem, quam produxerant aquæ*„. Duplex hic indicatur animæ viventis productio; una poſterior a Deo, altera prior ab aquis: nam illud verbum *produxerant* anteactam productionem ſuapte inſtitutione ſignificat. quid autem clarius, quid diſertius pro Auguſtiniana ſententia? Animam nimirum eandem, viventem atque motabilem, quam jam pridem in ſuis illis cauſſalibus rationibus, Divina virtute produxerant aquæ; deinceps in propria ſpecie, in aſpectabili forma adhuc produxit Deus. Quòd ſi percunctetur quis, an intelligi poſſit, Deum quincta die ita animantia feciſſe: reponimus, Moſem ſub quincta die per quandam *anticipationis* figuram enarraviſſe, quod poſtea operatus eſt Deus; ac propterea, Deum finxiſſe adhuc animantia, quæ produxerant aquæ, ad illa opera pertinere, quæ Deus per temporalia ſpatia etiam uſque nunc operatur.

IV. Quod demum attinet ad hominis creationem; maxima, ac prorſus ineluctabili vi ex eodem Geneſeos capite, etiam juxta Latinam vulgatam, quæ ſanè cuilibet præferenda eſt, Auguſtini ſententia eruitur atque roboratur. Quum enim legimus „ *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & feminam creavit eos* „ exploratum habemus, Deum Adam & Evam ſimul creaviſſe; alioquin nimiùm impropriè eo modo hoc creationis opus Moſes recenſuiſſet, maſculum feminamque memorans, niſi verum eſſet eadem creatione utrumque productum fuiſſe. Hoc ita certum ratumque quamplurimi habuerunt ſacrarum ſcripturarum expoſitores, ut inter eos non deſit, qui judicarit, a Deo hominem Hermaphroditum creatum fuiſſe, quam ineptiam prævidit & rejecit Auguſtinus. hanc docuit Plato in ſympoſio comminiſcens, primum hominem fuiſſe ſicut interdum ii naſcuntur, quos androgynos vocant. quæ tamen ſimplici ſacræ hiſtoriæ lectione rejicitur, non enim legimus maſculum & feminam creavit eum, ſed „ *maſculum & feminam creavit eos* „ non ergo unum tunc, ſed plures creavit, maſculum ſcilicet alterum, & alterum feminam. Renuunt tamen adverſarii aſſerere, Deum creaviſſe ſimul maſculum atque feminam; pro quibus in præſenti dicit Cornelius a Lapide, primùm Deum creaviſſe maſculum, ac poſtea feminam, Moſem verò per *Anticipationis* figuram eorundem creationem ſimul recenſuiſſe. Si tamen nos ſciſcitemur ab ipſis, quandonam feminam creaverit Deus: multi reſpondebunt multa. aliqui ſequentes Originem, Chriſoſtomum, Eucherium, & D. Thomam dicunt, Evam creatam fuiſſe poſt diem ſextum; alii ſequentes Cajetanum, Lippomanum, & D. Bonaventuram dicunt, Evam creatam fuiſſe ſexto eodem die, tametſi poſt virum creata fuerit. qui reponunt, Deum creaviſſe Evam poſt ſextum diem, Auguſtinianæ ſententiæ aſſentiantur neceſſe eſt. quum enim legamus, die ſexto Deum feminam condidiſſe, eandem poſt ſextum diem conditam credere nequa-

quaquam poſſumus, niſi tamen unà cum Auguſtino dicatur, die quidem ſexto creatam fuiſſe ex nihilo latenter in cauſſis ſuis, & poſt ſextum diem ex Adæ coſta in propriam aſpectabilem formam atque figuram viſibiliter fuiſſe creatam, ſeu potiùs, utì ſcriptura divina loquitur, edificatam; iccirco conſultò de ea ſcripſiſſe Moſem „ *creavit Deus*, & deinde, *& edificavit Dominus Deus*„. priùs ſcripſit *creavit*, quia eſſe illius priùs ex nihilo fecit; poſtea ſcripſit *edificavit*, quia ex eſſe jam creato Evæ figuram poſtea viſibiliter condidit. Fortaſſe dicent, ſatìs illis eſſe cum D. Thoma firmiter tenere, ante Evæ edificationem aliquid Evæ præceſſiſſe, videlicet Adæ coſtam, ex qua edificata fuit: at enim niſi cum D. Auguſtino adjiciatur, in ipſa Adæ coſta præceſſiſſe Evæ integrum eſſe in rationibus cauſſalibus latens, inſertum a Deo; difficulter poterunt explicare, quo ſenſu feminam ſexto die creaverit Deus, quum die ſeptimo Deus „ *compleverit omne opus ſuum*„. Si enim præter Adæ coſtam, non præceſſit aliud quidquam Evæ, illa Adæ coſta neque maſculi, nec feminæ ſexum præſetulit, nec dici potuit opus ita completum, ut nihil eidem novi deinceps adderetur poſt ſextum diem, in quo Eva edificata fuit. Nonnulli ex antiquioribus Ebræis judicaverunt, ita Adam & Evam fuiſſe creatos a Deo, ut „ *in lateribus ſibi invicem cobærerent, eſſentque quaſi unum*„ Deum verò eoſdem ſeparaviſſe. Si iſti Auguſtinianæ ſapientiæ luminis non omnino exſortes fuiſſent, veritatem ſanè, cui propè acceſſerunt, adinveniſſent; docuiſſentque, non, „ *in lateribus ſibi invicem cobærentes*„ ſed in cauſſalibus eorundem rationibus Adam & Evam ſimul latenter creatos fuiſſe, & deinceps in perſpicua & aſpectabili forma Adam ex limo terræ, Evam ex Adæ coſta poſt ſextum diem efformatos fuiſſe. Itaque colligimus, eos omnes, qui unà cum laudatis Patribus fatentur, Evam poſt ſextum diem in mulierem edificatam fuiſſe, ſervare difficulter poſſe ſcripturæ litteram, qua expreſsè edicitur, ſtatuiturque, Deum & ſexto die creaviſſe feminam, & poſt ſextum diem omne

Ex Franc. Georg. tom. 1. Probl. 292.

opus ſuum compleviſſe; niſi quoque profiteantur cum Auguſtino, Deum *die ſexto*, hoc eſt quando omnia ſimul creavit, Adam & Evam in rationibus cauſſalibus latenter produxiſſe, & poſt diem ſextum eoſdem in viſibilem & aſpectabilem formam finxiſſe, atque edificaviſſe. Qui autem cum Cajetano, Lippomano, & D. Bonaventura autumant, Deum ſexto die Evam creaviſſe; niſi aliquando aſſerere cum Auguſtino velint, eo nempe die latenter dumtaxat, & in cauſſis ſuis formatam fuiſſe, nimis laborioſum ſtudium impendent, ut innumeras, non tantùm Dei, ſed creaturarum etiam operationes, quæ inter Adæ formationem ex limo, & Evæ edificationem ex coſta interfuerunt, fieri omnes potuiſſe ſexto eodem die ſatìs oſtendant. Perſcrutanti ſacram Geneſeos hiſtoriam, eandemque ineluctabiliter veram eſſe credenti dubium eſſe non poteſt, ſexto eodem die Deum creaviſſe jumenta, reptilia, & beſtias terræ; tum hominem maſculum & feminam condidiſſe, benedixiſſe, eiſdemque, generandi data virtute, dominandi piſcibus maris & volatilibus cœli, univerſiſque animantibus, quæ ſunt ſuper terram, facultatem tradidiſſe; deinde Adam creatum in Paradiſum, „ *quem plantaverat a principio* „ transtuliſſe, collocaviſſe, eidemque, ut de omni ligno Paradiſi comederet, conceſſiſſe, neve de ligno ſcientiæ boni & mali comederet præcepiſſe; ſubinde hominem eſſe ſolum, bonum non eſſe, cognoviſſe, ſed adjutorio ſibi ſimili indigere; propterea formatis de humo, terræ animantibus & volatilibus cœli, ea omnia ad Adam adduxiſſe, ut eiſdem nomen imponeret, Adam proinde cuncta animalia ſuis nominibus appellaviſſe; quumque inter ea „ *adjutorium ſimile ſibi* „ minimè inventum fuiſſet, Deum immiſiſſe ſoporem in illum, ex eoque ſopito coſtam tuliſſe, & hanc in mulierem edificaviſſe, eandemque Adæ demum obtuliſſe. Num in breviſſimo unius diei ſexti ſpatio hæc omnia peragi, abſolvique adverſariis potuiſſe videtur? Multa ibi Dei, multa creaturarum ſunt opera. ea quidem quæ Dei ſunt, non ſolùm unico die, ſed

etiam

etiam unico impartibilique momento fieri potuiſſe cenſemus. Sed ea quæ creaturarum ſunt opera tam exigua temporis mora formari, perfici itidem potuiſſe quis credat? Inter adverſarios fatetur Cornelius a Lapide, creata terræ animantia ad Adam ducta fuiſſe, non „ *per intellectualem viſionem* „ utì putavit Cajetanus; ſed *per realem præſentiam* eò vel per ductores angelos, vel per impulſum phantaſiæ animalibus impreſſum a Deo percita, utì Auguſtinus docuit. potiſne humana mens eſt opinari tot animalia cùm volatilia, tùm terreſtria ex tot diſſitis mundi partibus coram Ada modico intervallo temporis conveniſſe? Docet etiam Cornelius a Lapide, Adam ſapientia ſua cunctis animantibus nomina eorundem naturæ & proprietatibus conſona impoſuiſſe. cedo: quì percipi facili negocio poteſt, perbreve tempus innumeras tot animantium ſpecies conſiderari, inveſtigari naturas, explorari paſſiones & proprietates ab homine potuiſſe? &, non mentis contuitu, ſed oris eloquio per Ebraicum idioma voces exprimente ſua quibuſque nomina adtributa fuiſſe? Videant adverſarii, ne homini beſtiiſque faciles nimis concedant, quod Creatori negare minùs reformidant; neve opinentur, non Deum, ſed hominem, ſed beſtias plurima effeciſſe ſimul; ne demum comminiſcantur, hominem plurima beſtiarum nomina unica voce protuliſſe; beſtias unico momento longè disjuncta terrarum ſpatia pervaſiſſe. quid enim opponent Auguſtino dicenti„ *Quamtamlibet homo cogitet facilitatem, qua Deus etiam hæc ſimul cum ceteris fecerit; verba certè hominis novimus, niſi per temporales moras emitti voce non poſſe* „? Quòd ſi prorſus ignorent, quid reponant Auguſtino; fateantur tandem unà cum Ipſo „ *quòd homo de limo terræ factus eſt, eique formata uxor ex latere ejus, jam non ad conditionem, qua ſimul omnia facta ſunt pertinere, quibus perfectis Deus requievit; ſed ad eam operationem, quæ fit jam per volumina ſæculorum, qua uſque nunc operatur*.

Auguſt. lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 14.

Auguſt. De Geneſ. ad lit. l. 6. cap. 3.

V. Validiſſimum alterius rationis momentum accerſit Auguſtinus ex divinæ ſcripturæ contextibus juxta

ta

ta ſeptuaginta Interpretum verſionem. Primus illorum eſt „ *Et conſummata ſunt cœlum & terra, & omnis compoſitio eorum; & conſummavit Deus die ſexto omnia opera ſua, quæ fecit; & requievit Deus die ſeptimo &c.* alter eſt, *quia illa die requievit ab omnibus operibus ſuis, quæ incboavit Deus facere* „. Ex hiſce duobus invicem collatis ſcripturæ textibus, S. Doctor ita ratiocinatur „. *Hic igitur ſi quis inquirat quomodo conſummavit & quomodo incboavit: neque enim alia conſummavit, alia incboavit, ſed eadem ipſa utique a quibus in die ſeptimo requievit: ex his quæ ſupra diximus clarum eſt. conſummaſſe quippe iſta intelligimus Deum, quum creavit omnia ſimul, ita perfectè ut nihil ei adhuc in ordine temporum creandum eſſet quod non hìc ab eo jam in ordine cauſſarum creatum eſſet. Incboaſſe autem, ut quod hìc præfixerat cauſſis, poſt impleret effectis. Proinde formavit Deus hominem pulverem terræ, vel limum terræ, hoc eſt de pulvere, vel limo terræ: & inſpiravit, ſive ſufflavit in ejus faciem ſpiritum vitæ, & factus eſt homo in animam vivam; non tunc prædeſtinatus hoc enim ante ſæculum in præſcientia Creatoris: neque tunc cauſſaliter vel conſummatè incboatus, vel incboatè conſummatus, hoc enim a ſæculo in rationibus primordialibus, quum ſimul omnia crearentur: ſed creatus in tempore ſuo, viſibiliter in corpore, inviſibiliter in anima conſtans ex anima & corpore.*

August. de Gen. ad litt. lib. 6. cap. 11.

Porro ex divinis ſcripturis ſecundùm ſimplicitatem litteræ explicatis docet hìc beatiſſimus Eccleſiæ Doctor, Deum in creaturarum exordio & compleviſſe, & inchoaviſſe omnia quæ fecit. compleviſſe quidem, quia omnia rerum genera in cauſſalibus ſuis rationibus jam produxit, ita ut pro futuris temporum ſpatiis eiſdem nihil eſſet addendum; ſed dumtaxat adminiſtratorio actu in aſpectum viſibiliter exſerenda. eadem autem inchoaſſe, quæ tunc compleverat, quare omnia a Deo ſunt & completè inchoata, & inchoatè completa; quia omnia in rationibus ſuis cauſſalibus, ſeu primordialibus completè inſerta ſunt, in quibus inchoant eſſe, ut deinceps ſuis quæque locis temporibusque eruta, ejecta, progenita in lucem prodeant.

C A-

CAPUT IX.

I. Primum adverſariorum argumentum proponitur. II. Gavardi reſponſum exhibetur. III. Ex Noriſiii judicio refellitur. IV. Eidem argumento ex 2. libro Regum occurritur. V. Item ex primo & altero Geneſeos capite. VI. Diſcrimen inter allegoricam & litteralem explicationem ſtatuitur. VII. Auguſtini teſtimonium explicatur.

I. PRimum argumentum, quod in Auguſtinum, veluti telum quoddam invictiſſimum, jaciunt adverſarii, illud eſt quod ab ipſa hiſtoricæ narrationis natura, & ſimplicitate repetunt. hæc enim, ſi ipſis adhibenda fides ſit, ſuapte natura omnem allegoriam, omnemque tropum rejicit, arcetque procul. Pater Pererius, quippe qui argumentum iſtud omnium maximè approbat, atque proſequitur, idem hiſce conceptis verbis altiùs exaggerat. „ *Hæc doctrina Moſis de mundi creatione eſt quædam hiſtorica narratio tradita rudi populo Judæorum, ſimplici narratione docens quæ a Deo facta ſunt in opificio mundi; quare, quæ in ea traduntur, ſic accipienda ſunt, ut verba ipſa ſonant, & illa exiſtimanda eſt melior interpretatio, quæ verbis Moſis ſecundùm propriam & uſitatam ſignificationem eorum ſumtis magìs congruere, & conſonare reperietur. Moſes autem explicatiſſimè, & diſtinctiſſimè præcenſet ſex dies in fabricando mundo tranſactos, quia particulatim edocet, quid quoque illorum dierum factum fuerit* „. Neſcio, quo adverſariorum infortunio miſero atque gravi, noſtris demum temporibus, obtigerit, ut ratiocinatio iſta adeo Heterodoxis arriſerit, ut in eadem, ſtudio deridendi Auguſtinianam doctrinam, Joannes Clericus recens Calviniſta mirificas ſibi delicias faciat, & cenſoria grandiloquentia proinde effutiat „ *Hæc omnia* (de Auguſtino dies Moſis explicante loquitur) *quibus ſummatim profert, quod particu-* *Animal. in lib. de Geneſ. ad lit. lib. 4. cap. 35.*

latim

latim in hoc libro docuit, quis non miretur vocari interpretationes ad litteram? quis non obſtupeſcat, quum cogitat ſeriò eſſe dicta? quibus hæc ſomnia febricitantium eximia videbantur, eos oportet fuiſſe, aut valde bebetes, aut valde affectu occæcatos. Quis interpres bodie talia ſcribere vellet „? Tanti momenti eſt apud eos qui Auguſtiniano nomini iniquiſſimi ſunt, illa, quæ maximè eſt apud recentiores, ratio. Oraculi loco tenent, hiſtoricam Moſis narrationem, quacumque allegorica, ſeu tropica acceptione verborum extruſa, pro litteræ ſimplicitate explicari debere; ut ſubinde fulgidiſſimo Eccleſiæ Soli, Auguſtino, ſuccenſeant; quòd pollicitus ſe Geneſim ad litteram explicaturum, Moſaicos dies metaphoricè & myſticè tantùm acceperit. Quàm verò futilis inaniſve ſit cùm recentiorum argumentatio, tùm hæreticorum irriſio, facilis & illius ſolutio, & hujus rejectio, compertiſſimum facient.

Sch. Ægid. in 2. ſent. tom. 1. q. 1. art. 10. II. P. Fridericus-Nicolaus Gavardi celebris noſtri Inſtituti Theologus, & in Romana Academia publicus Sacrarum Scripturarum interpres, in ea controverſia omnem prorſus dirimit diſceptandi locum: profundè enim & eruditiſſimè docet, Auguſtinianam Geneſis expoſitionem, nec allegoricam, neque myſticam eſſe, ſed in ſenſu maximè proprio penitus litteralem; etiam dum in diebus Moſaicis cognitiones angelicæ intelliguntur. Quinetiam acriter defendit, *diem* propriùs angelorum cognitioni, quàm præſentiæ ſolis convenire: proinde dies illos recenſitos à Moſe, dici quidem poſſe ſpirituales, at non item myſticos dies; non enim ibi ſpirituale accipitur, quatenus opponitur *1. Corin. 3.* litterali, de quo ſcripſit Apoſtolus „ *Spiritus vivificat, littera autem occidit*.

III. Cardinalis Noriſius acerrimus Auguſtinianæ doctrinæ vindex, referens S. Patris ſententiam a D. *Card. Noriſius in Vind. Auguſt. §. 9.* Thoma relatam, ejuſdem explicationem myſticam eſſe fatetur; quippe ait „ *Hanc S. Patris explicationem de ſimultanea rerum creatione myſticè in ſex illos dies ſic diviſam, paucis refert D. Thomas*„. Et revera cum Auguſtini mente

mente magis id cohærere videtur. Nam, etſi S. Doctor non ſolùm in ipſa fronte libri, verùm etiam aliis in locis, ſacram Geneſim *ad litteram*, hoc eſt,, *non ſecundùm allegoricam prophetiam*, ſed *ſecundùm veritatem rerum geſtarum*,, explicare promiſerit, non propterea illa, quam tradidit, explicatio dierum allegorica & tropica dicenda non eſt, Auguſtino ipſo dicente ,, *quiſquis non eam, quam pro noſtro modulo vel indagare, vel putare potuimus, ſed aliam requirit in illorum dierum enumeratione ſententiam, quæ non in prophetia figuratè, ſed in hac creaturarum conditione propriè meliùsque poſſit intelligi, quærat, & divinitus adjutus inveniat*,,. hiſce verbis clariſſimè oſtenditur, Auguſtinum dierum explicationem allegoricam docuiſſe, & propriam aliis perquirendam reliquiſſe. Et velim agnoſceret Joannes Clericus, quàm minimè nos ſuæ illæ malè feriatæ animadverſiones percellant, commoveantque. quid? concedimus, Auguſtinianam Geneſeos explicationem ad litteram eſſe. concedimus, pollicitum fuiſſe Auguſtinum ſex creationis dies, dumtaxat ſecundùm rerum geſtarum veritatem, ſe eſſe explicaturum: & eundem propterea dies illos non utì naturales, & proprios, ſed utì myſticos & allegoricos exponentem promiſſis fidem non adjunxiſſe, negamus.

IV. Fatetur S. Pater, librum Geneſeos ſimplicem eſſe rerum geſtarum hiſtoriam, ſicutì ſunt in eadem divina ſcriptura Regum libri. quare ſcribit,, *Narratio quippe in his libris non genus loquutionum figuratarum rerum eſt, ſicut in Cantico Canticorum, ſed omnino geſtarum eſt, ſicut in Regnorum libris, & hujuſcemodi ceteris*,,. Quid ampliùs ab Auguſtino requirunt Adverſarii? Fatetur, librum Geneſeos, non ſecùs atque libros Regum, hiſtoricum eſſe; & non figuratas, ſed proprias loquutiones continere. Fatetur Ipſe, quod fatentur ipſi: igitur & Ipſius, & ipſorum principia conveniunt probè. quid ergo tam ſollicitè petunt, quidque tam anxiè flagitant? Illudne ſcire exoptant ab Auguſtino, cur in hiſtorico libro non figuratarum, ſed geſtarum rerum narrationem præſeferente, ſex dies a Moſe recenſiti non propriè, ſed *Auguſt. de Gen. ad litt. lib. 8. cap. 1.*

 figu-

figuratè explicentur? ſed antequam ipſis Auguſtinus reſpondeat, reſpondeant ipſi Auguſtino. Regum libri ſuntne ipſis hiſtorici libri, non figuratarum, ſed geſtarum rerum narrationem præſeferentes? quonam ergo ſenſu illud explicabunt,, *Filius unius anni erat Saul, quum regnare cœpiſſet* „? Qui norunt, Saul unctum fuiſſe in Ebræorum regem, quum paſceret aſinas Cis patris ſui, quumque ſtatura altior eſſet „ *universo populo ab humero & ſurſum* „ tenentur prælaudata verba explicare; & docere, quanam ratione ejus muneris ac ſtaturæ homo *Filius unius anni* dici poſſit. Haud dubiè non audebunt aſſerere, librariorum mendum huc irrepſiſſe: ſeu ſcholiaſtem græcum, & Melchiorem Canum legere „ *Filius viginti unius anni erat Saul, quum regnare cœpiſſet* „ altè enim reclamarent Ebræi, Caldæi, Septuaginta, Aquila, Simmachus, Theodoretus, & copioſa Patrum veterum cohors, qui omnes unà ſimul immobiliter legunt „ *Filius unius anni erat Saul, quum regnare cœpiſſet* „ quomodo igitur hujus hiſtoricæ narrationis verba explicabunt? violentam fortè Rabani interpretationem ſequentur; dicentque, eam vocem Saul indeclinabilem eſse, & in tertio uſurpanda caſu, perinde atque legeretur „ *Filius unius anni erat Sauli* „ nempe, quum primùm regnare cœpit Saul, Filius ejus Isboſet primum ætatis agebat annum? verumtamen eam interpretationem penitus commenticiam eſse ex criſi Chronologorum facilè eruitur. Si enim Saul poſt Samuelem regnavit annos ſummùm viginti, & Isboſet filius ejus, quum àb Abner conſtitueretur Rex ſuper
2. Reg. c. 2. v. 10. Iſrael „ *erat quadraginta annorum* „ conſequens eſt, Iſboſet, non unius, ſed viginti annorum filium fuiſſe, quando Saul pater ejus regnare cœpit. Itaque, velint nolint, adverſarii amplecti debent communiorem Patrum explicationem; & unà cum Hieronymo, Gregorio, Eucherio, Theodoreto, Ruperto, Procopio, Hugone, Angelico, Lyrano, Abulenſi, Carthuſiano, atque etiam cum ipſo Cornelio a Lapide, qui inter Auguſtini adverſarios in ea re numeratur, docere, Saulem,

quum

quum regnare cœpiſſet, adeo fuiſſe ſimplicem, & innocentem, ut puer unius anni videretur: quamobrem ex Caldæorum verſione legimus „ *ſicut filius unius anni, in quo non ſunt culpæ, erat, quando regnavit* „. Ad difficillimam hujus auctoritatis explanationem, alia, præter ea, quæ Cornelius ipſe a Lapide retulit, referre noluimus, quum inter adverſarios Auguſtinianæ ſententiæ, *erroneam* de rerum creatione doctrinam ipſe appellaverit unus. Cedo igitur, & videant, ne ſibi deſint, adverſarii: Regum libri ſuntne, quemadmodum & Geneſeos liber, hiſtorici? ſunt quidem certè. quì igitur fieri poteſt, ut in Regum libris quantumvis hiſtoricis, quantumvis rerum geſtarum narratione refertis, pro innocenti quodam candore animi, ætas anni unius legatur; quandoquidem in libro Geneſeos, utpote hiſtorico, utpote rerum geſtarum narratione referto, pro angelorum cognitione illuminationem diei accipere per adverſarios non licet? Si allegorica prorſus loquutio eſt, diei manifeſtationem pro angeli cognitione uſurpare; allegorica item loquutio erit, pro innocentia animi anni unius ætatem explicare. Quamobrem igitur in hoc hiſtorico libro allegorica loquutione uti nos rectè poſſumus, qua in alio uti non item poſſumus? Reponent haud dubiè; quia ibi annum pro anno accipere repugnat ceteris teſtimoniis ſcripturarum ſanctarum. Hoc ipſum eiſdem reponit Auguſtinus. Diem hìc pro die intelligere & Eccleſiaſtico, & Job, & David, & Joanni, & Moſi ipſi repugnat. Obticeant tandem. Sique ipſi ad conciliandas divinas ſcripturas etiam in hiſtorica narratione annum non pro anno accipiunt; ne ferant indignè & ipſum Auguſtinum in eadem cauſſa diem non accepiſſe pro die.

V. Ne autem longè excurramus. Ex ipſomet primo Geneſeos capite liquet, quàm ineptè pronuncient adverſarii, omnia illius verba accipienda eſſe *ſicutì ſonant*. Legimus, *Dixit Deus*, & vocem illam *dixit*, non, *ſicuti ſonat*, accipimus; ſed interpretamur dicentes, non oris loquelam, ſed mentis actum ſignificare:

ita ut *dixit Deus*, idem planè ſit, atque voluit, decrevit, imperavit Deus. Legimus,, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* „ & vocem illam *ferebatur*, non „ *ſicuti ſonat* „ accipimus; ſed explicantes aſſerimus, ſignificare aquas divinæ virtuti foventi, fœcundanti, & conſervanti ſpiritualiter ſubjici. Legimus „ *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* „ & vocem illam „ *inſpiravit*, non, *ſicuti ſonat* „ accipimus, perinde quaſi corporeè nimis comminiſcamur, animam eſſe inſpirationem Dei; ſed interpretantes credimus, Deum inſpiraviſſe, ſive, ut Septuaginta legunt, inſuffläviſſe (quum anima ſpiritus ſit) ita, ut inſpirare idem fuerit ac producere ſpiritum, inſufflare idem fuerit, ac flatum conferre. Legimus „ *Et requievit die ſeptimo* „ & vocem illam „ *requievit* non, *ſicuti ſonat* „ accipimus, perinde quaſi poſt laborem quietem habuerit Deus; ſed ediſſerentes agnoſcimus, in ſpirituali ſenſu requieviſſe Deum: quia nimirum ab opere creationis ceſſans, non aliud quidpiam ad mundi ornatum produxit; ſed neque humano modo ceſſavit: quia ſi ab opere creationis ceſſavit, non ceſſàvit tamen, neque ceſſat etiamnum, ab opere con-
Jo. 5. 17. ſervationis, dicente Chriſto „ *Pater meus uſque modo operatur* „. omnibus iſtis momentis ab ipſa creationis hiſtoria depromtis nedum Recentiorum menti, verùm etiam oculis dijudicandum proponitur, falſum eſſe, in hiſtorica ulla narratione omnia verba ſemper accipienda eſſe *ſicuti* ſonant: neque rationem aliquam unquam proferre poterunt, quæ ſatis idonea ſit ad demonſtrandum, uſurpari debere *ſicuti ſonant* verba illa „ *Dies, Mane, Veſpere* „ non autem illa „ *Dixit, Ferebatur, Inſufflavit, Requievit* „ quum & illa & iſta in hiſtorica narratione æquè reperiantur.

VI. Ut igitur ab Auguſtino diſcant adverſarii, ſacram Geneſim ad litteram explicari potuiſſe; & nonnulla interea, immo permulta Ipſius verba non ſecundùm propriam, ſed ſecundùm allegoricam loquutionem uſurpari potuiſſe; inter explicationem ad litteram, & Myſticam explicationem diſcrepantiam intercedentem

tem conſiderent. Tunc aliquem ſcripturarum librum myſticè explicamus, quum non aliquod tantùm ejuſdem verbum tropum eſſe percipimus, ſed integram rerum geſtarum ſeriem ad aliud quidpiam in eo libro minimè contentum referimus. quod ut exemplo aliquo declaremus, ſacram Exhodi hiſtoriam accipiamus. Si legentes in ipſa Ebræorum tranſitum de Ægypto per deſertum in terram promiſſionis, pro populo Ebraico animam, pro Ægypto peccatum, pro Pharaone dæmonem, pro Mari Baptiſmum, pro deſerto pœnitentiam, pro nube gratiam, pro virga Crucem, pro terra promiſſionis cœleſtem patriam acceperimus, tunc haud dubiè librum Exhodi non ad litteram, ſed myſticè interpretabimur; quique contenderent, præter hunc myſticum, non alium habere ſenſum, nefariis Origeniſtarum erroribus ſuffragarentur. Quum verò ſacram eandem Exhodi hiſtoriam legimus, & quæcumque in ea ſcripta ſunt, non ad aliud quidpiam ab ipſa eſtraneum ſignificandum transferimus, ſed omnia uti ad Ebræorum tranſitum attinentia conſideramus; tunc revera ſacram Exhodi hiſtoriam ad litteram explicamus, tametſi unum, vel alterum verbum illius tropicum eſſe cenſeamus. quemadmodum, quum, exempli cauſſa, legimus, Deum dixiſse Moſi „ *Indurabo cor Pharaonis* „ verbum illud *indurabo* non, *ſicutì ſonat*, accipimus; ſed dicimus, allegoricum eſſe, & Divinæ gratiæ lenientis corda abſentiam ſignificare. Idem prorſus in rei inſtitutæ cauſſa eſt. quum legimus ſacram Geneſeos hiſtoriam, quæve in ea ſcripta ſunt, non ad res geſtas, ſed ad aliud quidpiam, &, exempli cauſſa, ad ſalutem animarum transferimus, aſſerimusque, Luce gratiam, firmamento Fidem, Mari Baptiſmum, Iuminaribus doctores, ſideribus Sanctos, & id genus ſimilia, ſignificari; tunc haud dubiè ſacram Geneſim myſticè explicamus; quique unum hunc illam dumtaxat præſeferre ſenſum comminiſcuntur, noverint ſe unà cum Origeniſtis Eccleſiaſtico fulmine conteri. quum autem ſacram eandem Geneſim explicamus, &

omnia

omnia quæ ſunt in ipſa ad unam creationis hiſtoriam referimus, indubiè ad litteram explicamus; quamtumvis nonnulla ipſius verba tropos eſſe putemus, aſſeveremusque *Mane* ſignificare operis creandi præparationem, *Veſpere* creati operis conſummationem, *Diem* demum ejuſdem operis manifeſtationem. Ad litteram explicatur Exhodus, tametſi verbum illud *indurabo* metaphoricum eſſe dicatur, & ad remotionem gratiæ indicandam, quæ verè ad Exhodi hiſtoriam pertinet, excipiatur: ergo ad litteram explicatur Geneſis, tametſi verbum illud *dies* metaphoricum item eſſe dicatur, & ad ſignificandam operis manifeſtationem, quæ verè ad Geneſeos hiſtoriam attinet, uſurpetur.

VII. Quòd ſi quis cum P. Gavardi, eximio noſtri Inſtituti Theologo inquirat, quamobrem ſcripſerit Auguſtinus „ *Voluit Deus, ut ea diligentiùs intuens, atque conſiderans non fruſtra, quantùm opinor, exiſtimarem, & per me poſſe ſecundùm propriam, non ſecundùm myſticam loquutionem hæc ſcripta eſſe monſtrari* „ reponimus, iis verbis voluiſſe nobis Auguſtinum oſtendere, illam definitam diei explicationem, profectò ad litteram eſſe; eò tamen loci per allegoricam vocem expreſſam: ſicut nos certè dicimus, explicationem illius verbi *indurabo* pro abſentia gratiæ haud dubiè ad litteram eſſe, quantumvis certi ſimus, ibi tropicam vocem itidem uſurpari. Porro ne, cùm domeſticis, tùm exſtraneis Auguſtinus ulla ex parte ſibi minùs cohærere videatur, ex dictis colligimus, S. Patrem docuiſſe duplici ſenſu aliquod poſſe ſecundùm allegoricam loquutionem explicari: primùm, quum voce tropica, quidquid ad hiſtoriam ipſam pertinet, ſignificatur, ſicuti quando pro *mane* operis præparationem accipimus; eamque allegoricam loquutionem non rejicit Auguſtinus: deinde, quum tropica voce aliquid ad hiſtoriam ipſam minimè pertinens ſignificatur, utì quando accipimus pro *mane* animæ juſtificationem, pro *veſpere* hominis lapſum; eamque allegoricam loquutionem in locis citatis Auguſtinus excludit. Hæc debent expendere Auguſtini adverſarii,

ſarii; & maximè omnium Joannes Clericus debuit. qui ſi Auguſtinianæ doctrinæ cauſſas magis condidè tractaviſſet, ſeu potiùs introſpexiſſet, ſuas illas miſeras animadverſiones probris & livore plenas minimè effutiviſſet.

CAPUT X.

I. Adverſariorum argumentum a Sabbati ſanctificatione ductum proponitur. II. Ex ipſomet Scripturæ textu eruta reſponſione diluitur. III. Ratione item ex auctoritate David improbatur. IV. Solutio exemplo explicatur.

I. PRæſens hujus Diſſertationis caput inter cetera præcipuum ſibi vindicaret locum, ſi conſideranda eſſent verba Pererii opponentis Auguſtino illud *potentiſſimum* quod nuncupat argumentum: profectò ea grande quidpiam ſonant. „ *Deinde, potentiſſimum adversùs iſtos argumentum eſt, quod Moſes in Exod. cap. 20. & 31. cum daret Judæis præceptum obſervandi diem Sabbati, cauſſam, cur eum Judæi tam ſanctè ac religiosè colere deberent, hanc unam reddat: quòd ſicut Deus mundum, & omnia quæ ſunt in mundo ſex diebus creavit, ſeptimo autem die vacavit, & requievit ab omni opere quod patrarat; ita quoque Judæos debere per ſex dies hebdomadæ in operando & laborando verſari, die autem ſeptimo ad exemplum, & imitationem Dei ab omni opere ſervili laboreque feriari. Hæc autem ratio Moſis, quis non videt quàm ſit infirma, futilis, & frivola, ſi Deus non per ſex dies, ſed ſimul, & uno temporis momento res omnes feciſſet?* „ In ora autem libri perſpicuis characteribus notat. „ *Validiſſimum argumentum adversùs opinionem Auguſtini.* „ Ecquis præcipuo non haberet loco illud libri caput, cui divina, ut ita dixerim, vis adtribuenda eſt; cujus unius eſt & *potentiſſimum*

Perer. in Geneſ. l. 1. cap. 2. v. 4. 5. 6.

ſimum vincere, & *validiſſimum* frangere? Sed enimvero argumentum illud P. Pererius *potentiſſimum*, & *validiſſimum* vocat; quia, quum laboris, & quietis humanæ dies ſint naturales & proprii, exiſtimavit inde neceſſariò effici, Divini quoque operis quietiſque dies naturales & proprios, non autem ſpirituales & tropicos eſſe dies: perinde quaſi Moſes nulla vi, immo futiliter, ineptè perſuaſiſset Ebræis, die proprio & naturali ab operibus feriari debere, atque requieſcere; propterea quòd die tropico & ſpirituali ab operibus requieverit, & ſuo modo feriatus ſit Deus. Hæc haud dubiè eſt ingens illa propoſiti argumenti vis, quamobrem illud P. Pererius *potentiſſimi*, & *validiſſimi* cognomento inſignivit.

II. At enim ſupina ejuſdem alucinatio ipſa vocum explicatione apertiſſimè oſtenditur. Duo in prælaudata ſententia commemoravit Moſes, diem, & quietem: quorum alterum ſi ad hominis quietem referatur, allegoricum eſt, etenim humana quies non aliud, niſi virium reparatio eſt, qua in re etiamnum ſacri interpretes ſudant, ut, quo Deum requieſcere dici poſſit, congruum ſenſum inveniant: & doctiores concludunt, requieſcere Dei, ſi referatur ad hominem, nonniſi quid tropicum, nunniſi ſymbolicum eſſe. Si ergo ex duobus, quæ recenſet Moſes, quiete & die, unum, quies nimirum, apertiſſimè tropicum eſt: quid ſi alterum tropicum item dicatur? tropica quies eſt; quidni & tropicus dies? Quandoquidem neque futile, neque ineptum eſt, humanam quietem indicere; quoniam, requievit Deus; quamvis tropicè dumtaxat quies Dei, quieti hominum comparetur: quid, quæſo hìc lectorem optimum, cauſſæ erit, quod P. Pererius futile ineptumque putet, eandem quietem illo die denunciare, propterea quia Deus illo die, non naturali, ſed tropico, requievit? ſed rem ipſam acriter urgeamus. Neque futile, neque ineptum eſt, propriam naturalemque quietem hominibus perſuadere, ex allegorica quiete Dei; & futile & ineptum erit ex allegorico die

ejuſ-

ejuſdem Dei proprium naturalemve diem ad quieſcendum hominibus aptum perſuadere, præſcribere?

III. Sed fac nullius ſint ponderis, quæ hactenus indicavi momenta. quid tum? Annè, quotieſcumque humanum aliquod opus Divini ullius operis recordatione ſuadetur, quidquid de Divino opere dicitur, de humano item dici neceſſe erit? Ergo dum homini ſuadetur amor, quia amat & Deus; amor hominis infinitus atque immenſus erit dicendus, quia immenſus & infinitus eſt amor Dei. Nolim hìc mihi deeſſe animis adverſarii. Scimus, regium Pſaltem ceciniſſe „*Filius meus es tu; ego hodie genui te*„ omneſque ſacros interpretes docere, tunc divino ſpiritu plenum & Verbi generationem æternam, & Chriſti generationem temporalem enunciaviſſe; nimirum, duplicem illam generationem, quam agnoſcere & credere Neſtoriana indignatur impietas. Quum igitur ea vox, *Hodie* certam diei partem ſua inſtitutione ſignificet; omnes credimus, utramque Chriſti generationem, ſcilicet æternam & temporalem fuiſſe *in Die*. His conſultò præmiſſis; ad rem ipſam ratiocinamur. Docet Chriſtiana Fides, in Die genitum eſſe Chriſtum„ *Ego hodie genui te*„ attamen, quum idem Chriſtus Deus, & homo ſit, rurſum ipſa Fides docet, Chriſtum Deum, genitum eſſe in Die, qui indiviſibilis æternitas eſt; Chriſtum hominem, genitum eſſe in Die, qui eſt diviſibile tempus. Exinde inquirimus: ſi, ut perſuaderetur Chriſti generatio temporanea, æterna Chriſti generatio memoraretur, fieretne conſequens, dicendum eſſe diviſibile tempus diem illum, in quo æternum gignitur Verbum, quia diviſibile tempus eſt ille dies, in quo Verbum gignitur caro factum? Reſpondeat P. Pererius. Quia dies ille corporeus eſt, & diviſibilis temporis dies, in quo a Matre ſinè Patre generatus eſt Chriſtus, proptereane item corporeus & diviſibilis ille alius putandus eſt dies, in quo a Patre ſinè Matre gignitur Verbum? Una auſa eſt Neſtorianorum impietas, funeſtiſſima hominum lues, id comminiſci. Idem ferè, ſi tamen debita pro-

portio ſervetur, in re noſtra aſſerendum eſt. Septimo in die edicitur humana quies: ſuadendique magis præcepti cauſſa adjicitur, etiam Deum die ſeptimo requieviſſe; neque iccirco eodem prorſus ſenſu uſurpandi ſunt, & dies, in quo requievit homo; & dies, in quo requievit Deus, ſed unus pro diviſibili tempore, alter pro æternitate indiviſibili debet uſurpari. Sed enim, quæ diximus, mutuò conferamus. Ibi iis vocibus *Hodie genui* generatio Chriſti & æterna, & temporalis exprimitur; hìc iis vocibus *in die ſeptimo* & Divina, & humana quies ſignificatur: ibi æterna & temporali Chriſti generatione per eas voces *Hodie genui* expreſſa, manifeſtatur temporalis altera generatio Chriſti recordatione generationis æternæ; hìc Divina & humana quiete per eas voces *in die ſeptimo* indicata, promulgatur humana altera quies recordatione quietis divinæ, quemadmodum ergo ibi, quum ſuadetur temporalis generatio recordatione generationis æternæ, non intelligitur corporeus & diviſibilis dies generationis æternæ, quamtumvis corporeus & diviſibilis ſit temporalis generationis dies, & uterque iiſdem vocibus *hodie genui* æquè exprimatur; ita & hìc, quum ſuadetur humana quies recordatione quietis divinæ, non debet intelligi corporeus & diviſibilis dies quietis divinæ, quamtumvis corporeus & diviſibilis ſit dies quietis humanæ, iiſdemque vocibus *in die ſeptimo* ſignificetur uterque dies.

IV. Quòd ſi, quo hæc omnia explicentur magis exemplum flagitet Pererius, ex eodem D. P. Auguſtino in promtu eſt. nam lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 30. adducens S. Doctor ea Davidica verba „ *veſpere, mane,*
Pſal. 54. *& meridie, enarrabo, & annunciabo, & exaudies vocem meam*, hæc habet, *Hìc fortaſſe per temporum vices; attamen, quantum puto, ſignificans quid ſinè temporum vicibus perageretur in patria, cui ejus peregrinatio ſuſpirabat* „. ex quibus verbis ad rem noſtram ita ratiocinari quis poterit. Dicente David, ſe meridie, mane, veſpere eſſe Dei laudes enarraturum in patria, ubi non veſpere, non meridie, non mane revera ſunt; cur & probè & effi-

efficaciter non poſſet quis hoc modo compellare, adhortarique fideles: Eja animi, laudate Dominum in terris veſpere, mane, & meridie; nam veſpere, mane, meridieque eundem eſtis in cœlis laudaturi? Haud dubiè iſtiuſmodi ſuaſioni ineptè futiliterque refragaretur quis, dicens: veſpere, mane, & meridie dierum noſtrorum in terris, exſtant verè ac propriè; veſpere autem, mane, & meridie dierum beatorum in cœlis, non exſtant niſi tropicè, & allegoricè. Videat P. Pererius, quàm exilis, & infirma ſit illius argumenti vis, quod contra Auguſtinum *potentiſſimum*, & *validiſſimum* nuncupavit. audienſque Moſem ſeptimi diei quietem denuntiantem hominibus, propterea quòd requieverit die ſeptimo Deus, fingat ſibi animo quempiam imitari Philonem, & ipſius eloquio non ineptè, non futiliter; ſed aptiſſimè, ſed efficaciſſimè ſic alloquentem. Quum præcipit vobis Moſes, ſeptimum quemque diem ſanctificare, quoniam die ſeptimo requievit & Deus; ne, quæſo, *ruſticana ſimplicitate* judicate, diem ſeptimum quietis divinæ diviſibilem ullam eſſe temporis partem, quemadmodum ſeptimus dies quietis veſtræ: nam dies Dei, non ſunt ſicut dies veſtri, & anni Dei ſicut veſtra ſunt tempora. verumtamen mandat Deus per Moſem, ut quemadmodum Ipſe ſex tantùm diebus, qui ſunt ſpirituales dies, operatus eſt, ita & vos ſex tantùm diebus, qui ſunt corporei dies, operemini. Accipite Dei præceptum, utì Fideles; percipite verba Dei, utì ſapientes: & gemino lumine cùm Fidei, tùm ſapientiæ perfuſi, pro certo habete ſanctificandum vobis eſſe ſeptimum veſtri temporis corporeum diem, etenim & Deus ſeptimum operis ſui ſpiritualem diem ſanctificavit.

Job. 10.

CAPUT XI.

I. Aliud adverſariorum argumentum ab lapſu angelorum petitum adducitur. II. P. Macedo ſolutio expenditur, & improbatur. III. Eſtii ea in re opinio refellitur, & Auguſtini mens fuſiùs enucleatur.

I. ALiud argumentum, quod maximè faciunt adverſarii, illud eſt, quod ex ſententia de angelorum lapſu deſumunt. præmittentes enim, angelos unà ſimul cum cœlo in ipſo rerum exordio creatos fuiſſe, ſubdunt, Auguſtinum docuiſſe tum malos a bonis fuiſſe diviſos, & in tartara truſos, quum primùm Deus lucem a tenebris ſeparavit: quod ajunt, impoſſibile abſque ulla temporis mora fieri potuiſſe. inintelligibile enim eſt, inquiunt, unico temporis momento angelos creari, eorundem aliquos in bonitate perſiſtere, aliquos a bonitate deficere; illos glorificari, reliquoſque damnari. &, quod in eo argumento præcipua videtur animadverſione dignum, putant recentiores, hoc eſſe contra communem Sanctorum Patrum ſententiam, atque etiam contra Ipſummet Auguſtinum. apertiſſimè hoc aſſerit Eſtius: quippe ſcribit, docuiſſe S. Doctorem, ante hominis creationem, aut ſaltem in ipſa hominis creatione angelos peccaviſſe; proinde unico eodemque momento angelos, hominemque ſimul creatos fuiſſe, neque in ipſa Auguſtini ſchola defendi poſſe. Sanè argumentum iſtud ingentis cujuſpiam difficultatis ſpeciem præfert. dato enim, hæc duo Auguſtinum docuiſſe, quæ notat Eſtius; videlicet, angelos non ab initio ſuæ creationis, ſed vel ante, vel poſt hominem conditum peccaviſſe; efficitur inevitabiliter conſequens, angelos & hominem eodem temporis momento creatos ſimul non fuiſſe. Sed, utrum illa duo docuerit Auguſtinus, dubitandum eſt vehementer. Quum enim in libro de Geneſi

Eſtius in 2. ſent. diſt. 12. §. 11.

neſi ad litteram non ſolùm diſertiſſimis verbis decreverit, verùm etiam ab objectionibus vindicarit, Angelos, ſimul atque creati fuerunt, peccaviſſe; & in libro Retractationum ejus operis mentionem habens, pluraque ex eo ad trutinam revocans, eam ſententiam ne verbo quidem retractaverit, mirum eſt, ſi alibi adverſarii in ejus operibus tale quidpiam inveniant, quo Auguſtino Auguſtinum adverſantem oſtendant.

II. Pater Macedo, celebris Minorita, in altero tomo Collationum de Angelis ad hoc argumentum reſpondet, S. Patrem non intellexiſſe hæc omnia momento eſſe facta, quum dixit facta eſſe ſimul „ *non enim*, inquit, *vocabulum ſimul pro momento neceſſe eſt ponere; ſed pro mora congruente rebus, quæ fiunt in temporis brevi quodam orbe, & compendio* „. Probat, Auguſtinum eam vocem *ſimul* pro momento temporis minimè uſurpaviſſe, non aliqua proferens Auguſtini verba, ſed exemplum afferens ex illo Job „ *ſimul venerunt latrones* „ non enim ii poterant momento venire, tametſi ſimul venerint, quia nonniſi per tempus moveri poterant. Sed enim nihil adversùm nos probat teſtimonium illud: ea quippe verba non ſignificant, omnia ſimul viarum ſpatia, per quæ venerunt, latrones pervaſiſſe, ſed ſimul, hoc eſt ſe invicem unà concomitantes veniſſe. Eaque in reliquis, quæ produci poſſent, firmiſſima regula ſit. In omnibus loquutionibus Divinæ ſcripturæ, quibus interſeritur particula *ſimul*, expendendum eſt, qua ratione, ſive reſpectu interſeratur. Sit exemplum. Operarii ſecuerunt, & congregaverunt ſimul triticum & zizaniam. In ea enunciatione ſi particula *ſimul* ad triticum & zizaniam referatur, ſignificat, non priùs triticum, & deinde zizaniam; ſed utrumque *ſimul* operarios ſecuiſſe & congregaviſſe: eaque particula tunc ſucceſſionem temporis prorſus excludit in tritici zizaniæque ſectione, & congregatione; tametſi ſecandi congregandique opus natura ſua ſucciſivum ſit. Si autem eadem particula ad operarios ipſos referatur, ſignificat, non priùs unum, & deinceps alterum; ſed omnes *ſimul*

Macedo Collat. de Ang T. 2. collat. 6. differ. 2. ſect. 4.

Job. c. 1. 15.

ope-

operarios & ſecuiſſe & congregaviſſe: eaque particula ſucceſſionem temporis tunc prorſus excludit in operariis ſecantibus & congregantibus; quantumlibet ſecare & congregare natura ſua ſint ſuccifiva. Si demum ad ſecandi congregandique actus referatur, tunc particula *ſimul* relata ad illos actus, eorundem reſpectu ſucceſſionem temporis item excludit; ſignificatque, non priùs ſectionem, poſtea congregationem peractam fuiſſe, ſed utramque ſimul, quod naturæ viribus eſt impoſſibile. In cauſſa noſtra, qua pro Auguſtini ſententia illud Eccleſiaſtici effatum expendimus,, *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul*,, dicant adverſarii, ad quid eam particulam *ſimul* velint referri. Si ſcripſiſſet Eccleſiaſticus: Pater, Filius, & Spiritus-ſanctus creavit omnia ſimul, reſpondere poſſent ad Perſonas creantes referendam eſſe; & ſignificare, non priùs Patrem, deinde Filium, demum Spiritum-ſanctum, ſed omnes ſimul abſque ulla intermiſſione creaviſſe. item, ſi ſcripſiſſet: qui vivit in æternum creavit & gubernavit omnia ſimul, reſpondere poſſent, ad creationem, & gubernationem referendam eſſe; & ſignificare, Deum non priùs creaviſſe, poſtea gubernaviſſe, ſed utrumque ſimul abſque ullo interſtitio temporis præſtitiſſe. Quum ergo ſcripſerit,, *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul*,, particulam *ſimul* ad res ipſas creatas referendam eſſe fateantur oportet; & ſignificare, non priùs ſubſtantiam, deinde ornatum, ſed omnia, ſed utrumque *ſimul* abſque ullius interjectione moræ ab optimo Conditore creata fuiſſe. Qui igitur *ſimultaneam* recipit, & momentaneam deſpicit creationem; & ab Auguſtini, & ab Eccleſiaſtici ſententia ſimul recedit: ambo quippe *ſimultaneam*, ambo momentaneam rerum creationem fuiſſe, docuerunt.

III. Porro Eſtius, qui contendit, D. P. Auguſtinum docuiſſe Angelos peccaviſſe aliquo tempore poſt eorundem creationem, citat librum 11. de Civ. Dei cap. 11. 13. & 15. & librum 12. cap. 9. item librum de Corrept. & Grat. cap. 10. & 11. & de Dono perſever. cap. 7. In

pri-

primo, quem laudat, loco quærit D. P. An Angelos, qui in veritate non ſteterunt, credendum ſit fuiſſe participes illius beatitudinis, quam ſancti angeli ab initio ſui ſemper habuerunt: edocetque, etiam angelos malos fuiſſe lucem, non autem lucem illam, qua modo æterna beatitudine ſplendent angeli ſancti; ſed quamdam lucem, quam non eſt facile definire; tametſi in ejus participatione æquales fuerint, tùm illi qui perſeveraverunt, tùm illi qui ceciderunt. Non aliud ibi docet Auguſtinus. Quamobrem temporaneam aliquam angelorum moram in luce illa, quam amiſerunt, non eò loci ab Auguſtino agnoſci, ſed ab Eſtio dumtaxat inferri, perſpicuum eſt. & fortaſſis ea agebatur ratione eximius ille Theologus, quæ eſt, non poſſe unico temporis momento eundem angelum lucem eſſe, & tenebras fieri; quam infra, dedita opera, expendemus. In alio ab Ipſo laudato loco de angelis loquens Auguſtinus hæc habet „ *Æqualis felicitatis omnes ab initio creati ſunt, & ita fuerunt, donec iſti, qui nunc mali ſunt, ab illo æternitatis lumine ſua voluntate defeciſſent* „. Ex hiſce verbis colligit fortaſſe Eſtius, S. Doctorem docuiſſe, malos angelos per aliquod tempus fuiſſe bonos; ſcribens enim, *ita fuerunt, donec &c.* indicare videtur moram aliquam, qua fuerint illius felicitatis participes. Mirum tamen eſt, tantæ eruditionis, tantæque doctrinæ Virum non advertiſſe hæc ſcripſiſſe Auguſtinum in eodem laudati libri capite „ *Niſi forte quis dicat, id quod Dominus ait de diabolo in Evangelio: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, ſic eſſe accipiendum, ut non ſolùm homicida fuerit ab initio, id eſt, in initio humani generis, ex quo utique homo factus eſt, quem decipiendo poſſet occidere; verùm etiam ab initio ſuæ conditionis in veritate non ſteterit, & ideo nunquam beatus cum ſanctis angelis fuerit, ſuo recuſans eſſe ſubditus Creatori, & ſuperbia ſua velut privata poteſtate elatus, ac per hoc falſus & fallax; quia nec unquam poteſtatem omnipotentis evadit* „. Hoc in loco Auguſtinus ſententiam de angelorum lapſu in primo creationis inſtanti diſertiſſimis verbis refert, neque

ipſam

ipſam rejicit, quamvis uti alienam referat; immo a præcipua, quæ in eandem fieri poſſet, objectione vindicat, ſervatque, ſubdens,, *Huic ſententiæ quiſquis acquieſcit, non cum illis hæreticis ſapit, id eſt Manichæis, & ſi quæ aliæ peſtes ita ſentiunt, quòd ſuam quandam propriam tamquam ex adverſo quodam principio diabolus habeat naturam mali; qui tanta vanitate deſipiunt, ut quum verba iſta Evangelica in auctoritate nobiſcum habeant, non attendant, non dixiſſe Dominum, a veritate alienus fuit; ſed, in veritate non ſtetit, ubi a veritate lapſum intelligi non voluit, in qua utique ſi ſtetiſſet, ejus particeps factus, beatus cum ſanctis angelis permaneret*,,. Tertium, quem pro ſe appellat, locum, non ſinè apparenti alicujus rationis momento pro ſua cauſſa laudat, quinetiam eidem conſentit ex noſtris P. Gavardi. At enim, quæ in medium proferunt, verba, id, quod maximè iiſdem refragatur, innuere apertiſſimè demoſtramus. En Auguſtini verba. ,, *Quæ ſi aliter convenientiùs intelligi nequeunt, oportet etiam illud quod dictum eſt, ab initio Diabolus peccat, non ab initio, ex quo creatus eſt peccare putandus eſt, ſed ab initio peccati, quòd ab ipſa ſuperbia cœperit eſſe peccatum*,, : ſi prima hujus ſententiæ verba accuratè inſpexerimus, patebit illico, non hoc, ut ſcholæ ajunt, *abſolutè*, ſed *conditionatè* dumtaxat docuiſſe Auguſtinum; ait enim ,, *ſi aliter convenientiùs intelligi nequeunt*,,. quid clarius? ergo D. P. convenientius fore putavit, intelligere, angelum ab initio, ex quo creatus eſt, peccaviſſe: & ſi quæ alia ab iis diſcrepantia ſcripſit, ſub ea reſtrictione,, *ſi aliter convenientiùs intelligi nequeunt*,, certiſſimè ſcripſit. Citat quoque Eſtius lib. 12. de Civ. Dei cap. 9. in quo nimirum docet S. Doctor, Angelos bonos Dei auxiliis perſtitiſſe bonos, malos propria voluntate evaſiſſe malos: attamen ne unum quidem eò loci habet verbum, ex quo aliqua temporis mora excipi poſſit, qua in bonitate perſeveraverint, qui boni a Deo bono creati, mali a mala voluntate effecti ſunt. Inſuper citat librum de Corrept. & Grat. cap. 10. & 11.; ſed in iis non aliud docet S. D. niſi, angelos per liberum voluntatis arbi-

arbitrium vel ſtetiſſe, vel cecidiſſe, nec quidpiam utrobique legere eſt, unde ſuſpicari poſſimus, cauſſam fuiſſe ullam ea laudandi loca. Namque in lib. de Dono Perſev. cap. 7. hæc tantùm verba de angelis prolata reperiuntur. ,, *Quæ tamen libertas in illius primæ conditionis præſtantia quantum valuerit, apparuit in angelis, qui, diabolo cum ſuis cadente, in veritate ſteterunt, & ad ſecuritatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos eſſe certiſſimi ſumus, pervenire meruerunt* ,,. Ecquis ex iſtiuſmodi verbis conjicere poſſet unquam, Auguſtinum docere, angelos aliquo tempore poſt creationem peccaviſſe? Fatemur imbecillitatem noſtram. ad hæc penitiùs exploranda idonei ſatis non ſumus. Et quandoquidem legimus diſertiſſima, exploratiſſimaque S. Patris verba in lib. 11. de Geneſi ad litteram a 13. uſque ad 26. caput differentis, ediſſerentiſque, angelos peccaviſſe in primo ſuæ creationis inſtanti, ea eſſe veram & genuinam, Ipſius ſententiam minimè dubitamus. In quartodecimo prælaudati libri capite eam quæſtionem ſic excitat Auguſtinus. ,, *In hoc autem opere quærendum eſt ſecundùm ſanctam ſcripturam quid de diabolo dicendum ſit: primo, utrum ab initio ipſius mundi ſua poteſtate delectatus, abſtiterit ab illa ſocietate, & Charitate, qua beati ſunt angeli, qui fruuntur Deo, an aliquo tempore in ſancto cœtu fuerit angelorum, & ipſe pariter juſtus, & pariter beatus* ,,: Ea propoſita quæſtione, uſque ad 16. caput improbat ſententiam eorum qui caſum angelorum ab æternis ſedibus fuiſſe contendunt ,, *quòd inviderit homini facto ad imaginem Dei* ,,. In ipſo autem 16. capite initam quæſtionem his conceptis verbis abſolvit. ,, *Nec fruſtra putari poteſt, in initio temporis diabolum ſuperbia cecidiſſe, nec fuiſſe ullum antea tempus, quo cum angelis ſanctis pacatus vixerit & beatus; ſed ab ipſo primordio creaturæ a ſuo Creatore apoſtataſſe, ut illud, quod Dominus ait, Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: utrumque ab initio intelligamus; non ſolùm, quia homicida fuit, verùm etiam, quia in veritate non ſtetit. Et homicida quidem ab illo initio, ex quo potuit occidi, non autem potuit occidere, ante-*

quam eſſet qui occideretur. Ab initio ergò diabolus homicida, quia ipſe occidit hominem primum, ante quem nullus hominum fuit; in veritate autem non ſtetit, & hoc ab initio, ex quo ipſe creatus eſt, qui ſtaret, ſi ſtare voluiſſet,,. In 17. ejuſdem libri capite ratiocinatur Auguſtinus de angelorum præſcientia; & ex ejus privatione in angelis malis de eorundem lapſu colligit, ipſos beatam vitam inter beatos angelos non vixiſſe; & in ſubſequentibus capitibus uſque ad 23. caput adſtruit, angelos creatos fuiſſe bonos; atque in ipſo 23. capite rurſum ſententiam propriam expendit, comprobatque, a præcipua objectione hiſce verbis defendens. ,, *Quòd ergo putatur, nunquam diabolus in veritate ſtetiſſe, nunquam cum angelis beatam duxiſſe vitam, ſed ab ipſo ſuæ conditionis initio cecidiſſe: non ſic accipiendum eſt, ut non propria voluntate depravatus, ſed malus a bono Deo creatus putetur; alioquin non ab initio cecidiſſe diceretur, neque enim cecidit, ſi talis eſt factus: ſed factus continuò ſe a luce veritatis avertit, ſuperbia tumidus, & propriæ poteſtatis delectatione corruptus: unde beatæ, atque angelicæ vitæ dulcedinem non guſtavit, quam non utique acceptam faſtidivit, ſed nolendo accipere deſeruit, & amiſit. Proinde nec ſui caſus præſcius eſſe potuit, quæ ſapientia pietatis eſt fructus. Ille autem continuò impius, conſequenter & mente cæcus, non ex eo quod acceperat, cecidit; ſed ex eo, quod acciperet, ſi ſubdi voluiſſet Deo: quod profectò quia noluit, & ab eo quod accepturus erat cecidit, & poteſtatem illius ſub quo eſſe noluit non evaſit, factumque in illo eſt pondere meritorum, ut nec juſtitiæ poſſit lumine delectari, nec ab ejus ſententia liberari.* ,, Ea ratione explicatam munitamve ſuam ſententiam poſterioribus capitibus ab reliquis objectionibus vindicat, & in cap. 24. & 25. præſertim ab iis, quæ ex divinis ſcripturis regeri poſſent. ,, *Quod ergo per Eſaiam prophetam in eum dicitur, quomodo cecidit de cœlo lucifer mane oriens, contritus eſt in terram qui mittebat ad omnes gentes, Tu autem dixiſti ſenſu tuo, in cœlum aſcendam, ſuper ſidera cœli ponam thronum meum, ſedebo in monte excelſo, ſuper montes excelſos, qui ſunt ad aquilonem, aſcendam ſuper*

nubes,

nubes, ero ſimilis altiſſimo, nunc autem ad inferos deſcendes,, quodque in figura Principis Tyriorum item de diabolo dictum eſt per Ezechielem,, *Tu es ſignaculum ſimilitudinis, & corona decoris, in deliciis Paradiſi fuiſti; omni lapide pretioſo ornatus es &c.; in figura* (explicat S. P.) *regis velut Babylonis in diabolum dicta intelliguntur, plura in ejus corpus conveniunt, quod etiam de humano genere congruebant: & in eos maximè, qui ei per ſuperbiam cohærent, apoſtatando a mandatis Dei*,,. quæ omnia fuſiſſimè explicat, atque diſertiſſimè comprobat, ut ambigendum minimè ſit, Auguſtinum eam de lapſu angelorum habuiſſe ſententiam. Quamobrem Eſtius,, *De Auguſtino* (inquit) *reſpondemus, eum tametſi aliquando non fuerit ab hac opinione alienus, ſcilicet diabolum ſemper malum fuiſſe, quemadmodum ex locis adductis apparet, poſtmodum tamen, re meliùs expenſa, communem ſententiam pro vera amplexum eſſe, ut patet ex ſcriptis ejus poſterioribus, ex quibus loca ſuperiùs allegavimus*,,. Porro duo eò loci aſſerit Eſtius; primò, Auguſtinum non fuiſſe alienum ab opinione, qua defenditur,, *diabolum ſemper malum fuiſſe*,, deinde, *ſcriptis poſterioribus* oppoſitum docuiſſe. quod ad primum attinet, opus ſanè erat diſtinctiùs loqui. Aliud quippe eſt, angelum ab initio factum fuiſſe malum; aliud, angelum ſemper malum fuiſſe: etenim poſtrema hæc propoſitio videtur ſenſum exprimere, angelum creatum fuiſſe malum; a qua opinatione falſiſſimum eſt, aliquando non fuiſſe alienum Auguſtinum; perſpicuis nanque verbis aſſeruit,, *Quòd ergo putatur nunquam diabolus in veritate ſtetiſſe, nunquam cum angelis beatam duxiſſe vitam ſed ab ipſo ſuæ conditionis initio cecidiſſe; non ſic accipiendum eſt, ut non propria voluntate depravatus, ſed malus a bono Deo creatus putetur, alioquin non ab initio cecidiſſe diceretur, neque enim cecidit, ſi talis eſt factus &c.*,, Docuit igitur S. Doctor, angelum creatum fuiſſe bonum: docuitque a bonitate, in qua creatus fuerat a Deo bono, continuò, nulla interjecta temporis mora, ſua voluntate cecidiſſe; ita ut in bonitate quidem *fuerit*, ſed non item *ſteterit* in bo-

nitate, ſeu, ut divina ſcriptura loquitur, *in veritate*, ut enim quis in veritate ſit, ſatis eſt, ut cum veritate creetur; ut autem in veritate ſtet, neceſſe eſt, ut in veritate, cum qua creatus eſt, perſeveret. ergo Angelus, quia bonus creatus, fuit in veritate quidem; ſed quia ab ea bonitate continuò abſtitit, in veritate non ſtetit. Itaque docuit Auguſtinus, malos angelos nunquam in veritate, ſeu bonitate ſtetiſſe; ſed eoſdem nunquam veritatem, ſeu bonitatem habuiſſe, non item docuit. quippe qui luculentiſſimè exponit, bonos a bono Deo creatos fuiſſe, ac propterea in bonitate, & veritate creatos. Quòd ſi reclament adverſarii, duo hìc inſtantia ineluctabiliter admitti debere, primum, in quo angelus per Dei creationem eſt bonus; alterum, in quo fit ſua voluntate malus: iiſdem fatemur ingenuè, nos hìc ſcholaſticis illis momentorum diſtinctionibus præciſionibuſque non uti, ſed dumtaxat cum Auguſtino defendere, Deum omnes quidem angelos creaviſſe bonos, qua in bonitate ſtetiſſent omnes, ſi voluiſſent: quoſdam tamen continuò, atque creati fuerunt, ab accepta bonitate deceſſiſſe, & propria voluntate deceſſiſſe, quemadmodum, exempli gratia, ſi lapis crearetur in aere, nulla, nec minima quidem temporis morula in loco, in quo crearetur, perſiſteret, ſed illico per motum ad centrum rueret; ita eos, nulla penitus interpoſita ratione temporis, propria voluntate, a bonitate, in qua conditi fuerant, corruiſſe: eo tamen agnito, ſemotoque diſcrimine, quòd lapis non ſtaret natura ſua, angelus autem ſua voluntate non ſteterit. Verumtamen ſicut de lapide illo dicitur, fuit in aere, ſed non ſtetit in aere; ita etiam de angelo dicitur, fuit in bonitate, ſed *in bonitate non ſtetit*. Alterum, quod Eſtius aſſeruit, illud eſt, D. P. Auguſtinum „ *re meliùs expenſa, communem ſententiam pro vera amplexum eſſe, ut patet ex ſcriptis poſterioribus* „. ſcripta verò, quæ utì poſteriora laudat, ſunt libri de Civ. Dei, De Corrept. & Grat. De dono Perſever., in quibus, quemadmodum ſupra oſtendimus, non docet S. P., angelos

malos

malos fuiſſe aliquo tempore bonos,ſed in bonitate creatos fuiſſe, unà cum auxilio, quo ſtetiſſent, ſi voluiſſent. verùm eam doctrinam quis non videat toto diſtare cœlo ab ea, quam ſibi comminiſcitur Eſtius? quid enim? annon potis eſt angelus in bonitate creari, creatuſque continuò ab ipſa bonitate decedere, ut nec breviſſima quidem temporis morula ſteterit, perſeveraverit in bonitate? Ergo S.D. in lib. de Gen. ad litteram docuit, angelos malos ab initio, ex quo creati fuerunt, in peccatum prolapſos fuiſſe; & nuſquam oppoſitum docuit; propterea nihil eſt, quod adverſarii tanto ſtudio contendant, ut in ea ſententia Auguſtinum Auguſtino reluctantem traducant. Quapropter unà cum Ipſo conſtanter aſſerimus, opera ſex dierum omnia ſimul a Deo abſoluta fuiſſe, iiſdemque creationem angelorum, lapſum, ac damnationem, ab ipſo Moſe in ſeparatione lucis a tenebris recenſita, & adnumerata fuiſſe. Sed enim poſſent rurſum hìc vires exſerere adverſarii; & cum Eſtio ſimul ingerere „ *Ex ejuſdem Auguſtini ſententia angelum peccaviſſe ante hominem conditum* „. Et ſanè ſemel dato, id Auguſtinum docuiſſe quod Eſtius putat; quamtumvis ſtatim ac creatus fuit, peccaverit angelus, ſi tamen ante hominem conditum peccavit, defendi haud dubiè non poteſt, eundem unà ſimul cum homine creatum fuiſſe. At enim hìc mirari ſubeſt, Eſtium Theologorum omnium longè accuratiſſimum, eam fuiſſe Auguſtino mentem aſſerere, nec tamen unum indicaviſſe locum, quo hac de re mentem ſuam aperuerit Auguſtinus. auſim dicere ideo non indicaviſſe, quia non invenit; iccirco pro re ſua dubitabundus appoſuit „ *vel certè tunc, quando homo conditus fuit nam quod de diabolo ſcriptum eſt, Ille erat homicida ab initio, exponit de initio hominis conditi* „. Neque advertit, Auguſtinianam ibi aſſeruiſſe ſententiam. Si enim fatetur Eſtius, ex Auguſtini mente tunc quando homo conditus fuit, angelos peccaviſſe; & ab initio, ex quo fuit creatus, peccavit angelus ex eadem Auguſtini mente; invictè conſequens illud efficietur, ex Au-

guſtini

guſtini mente angelos & hominem conditos fuiſſe ſimul. Porro, etiam dato, S. Patrem in diviſione lucis a tenebris angelorum bonorum a malis angelis ſeparationem intellexiſſe, liquet adhuc, omnia ſex dierum enarrata Dei opera unico eodemve temporis momento peracta fuiſſe ſimul. Sed eſtò ut libet, ut lubet, Auguſtinum etiam docuiſſe angelos malos fuiſſe aliquo tempore bonos: quid tum? Ad adſtruendam ſimultaneam de rerum creatione ſententiam, ſatis eſt, omnia ſimul, angeloſque, hominesque creatos fuiſſe; & parùm, vel minimum refert, certum ullum internoſcere tempus, quo iidem in præceps collapſi fuerint. Inſtabunt tamen adverſarii. Si angelorum ſeparatio recenſetur a Moſe in diviſione lucis, primo creationis die angeli utique peccaverunt; quia eorum ſeparatio ab eorundem peccato prævenitur. Si autem peccaverunt primo creationis die, in hoc certè die aliqua eſt temporis mora; alioquin peccantes angeli nullo fuiſſent tempore boni: ac demum ſi primo in die eſt aliqua temporis mora, primus dies non tropicus, non ſpiritualis, ut putat Auguſtinus, ſed proprius, ſed naturalis eſt dies.

Gavardi in Schola Ægidian. Tom.

Sed viderit, quid ea in re eximius noſtri inſtituti Theologus repoſuerit: videlicet in diviſione lucis a tenebris S. Patrem diſtinctionem naturæ jam formatæ ab informi natura intellexiſſe, & litteraliter intellexiſſe; ſed angelorum bonorum a malis angelis ſeparationem dumtaxat figuratè explicaviſſe; proindeque ſubdidiſſe „ *Sed hæc allegoriæ propheticæ diſputatio eſt, quam non iſto ſermone ſuſcepimus* „. propterea putaviſſe, angelos ſimul cum homine creatos fuiſſe quidem, eorum tamen ſeparationem deinceps factam fuiſſe; non enim figuratum neceſſe eſt ſimul eſſe cum ſua figura, ita ut ſimul eſſe debeant, intelligique ſimul & lucis diviſio, & angelorum ſeparatio.

CA-

CAPUT XII.

I. Poſtremum adverſariorum argumentum ex ordinis carentia ductum producitur. II. Idem in adverſarios ipſos regeritur. III. Dignitatis & naturæ ordinem a Moſe ſervatum fuiſſe ſtatuitur. IV. Ab inordinatione tamen ipſa Auguſtini ſententia confirmari oſtenditur.

I. POſtremum, quod adverſarii objiciunt, argumentum accerſit ſibi vim aliquam ex carentia ordinis, quem in narratione Moſis eſſe debere contendunt; quemve, Auguſtiniana data ſententia, quæ rerum ſucceſſionem evertit, undequaque diſcerpi, atque peſſum ire comminiſcuntur. Quippe ajunt. Sex dierum enumeratio, ac diſcretio recenſita a Moſe, vel indicat ordinem temporis, quòd res aliæ priùs, aliæve poſteriùs conditæ ſint, vel nullum omnino, quem indicent, ordinem habent; non dignitatis, non naturæ, non cognitionis. non dignitatis quidem, quia ante alia omnia princeps hujus mundi homo creari debuiſſet: non naturæ, quia ante plantas & herbas creari debuiſſet Sol, a quo plantæ & herbæ vitale robur accipiunt: non denique cognitionis, quia angelorum cognitio, aut matutina in Verbo, aut veſpertina in re ipſa, ſucceſſionem omnem extrudit; & unicus eſt mentis obtutus, cuncta ſimul attingens perpetua & invariabilis.

II. Equidem miror, virorum etiam eruditiſſimorum mentes ſtudio partium abripi, & quandoque excæcari. Iſtæc omnia, quæ in Auguſtinum ab adverſariis immeritò congeruntur, in adverſarios ipſos ab Auguſtino congeri jure optimo poſſunt. Sex dierum enumeratio tradita a Moſe propriè ab Adverſariis accipitur, tropicè accipitur ab Auguſtino. propriè illam accipientes adverſarii ab Auguſtino quærunt, quem ordinem in rerum enumeratione ſervarit Moſes: tropicè

picè illam accipiens Auguſtinus, quærit ab adverſariis, quem ordinem in rerum creatione ſervarit Deus. adverſarii reſpondent, Moſem *ordinem temporis* ſervaviſſe, ſed nequicquam reſpondent: tempus enim, præter ordinem numeri, non alium conſtituit ordinem, qui tamen revera non ordo, ſed potiùs ſucceſſio dici deberet; fieri enim poteſt, ut ſine ullo prorſus ordine ſit quarumcumque rerum vera ſucceſſio; quemadmodum exempli cauſsa contingeret, ſi quis in diverſis diebus plura inordinata perageret. Ut ergo ratum habeant adverſarii, cuncta aliquo ordine produxiſſe Deum, non ad rem ſatis regerunt, Deum uno die produxiſſe lucem; altero firmamentum, & deinceps reliqua; etenim, ſi nullum iſta inter ſeſe ſervabunt ordinem, dici utique poterunt diverſo tempore, ſed debito ordine producta, non item. Non ſolùm igitur adverſarii quærunt ab Auguſtino, quem ordinem in creationis hiſtoria ſervaverit Moſes; ſed etiam ab adverſariis meritò quærit Auguſtinus, quem ordinem in opificio creationis ſervaverit Deus. Reſpondeant porro ipſi Auguſtino; & quemcumque demum ordinem deprehendent, ne dicant, Deum ſinè ordine diverſa produxiſſe; & Auguſtinus deprehendet, ne dicat, Moſem ſinè ordine diverſa enarraviſſe. & ſanè negari non poteſt, urgeri vehementiùs adverſarios, ne dicant, Deum inordinatè creaviſſe, quàm Auguſtinum, ne dicat, Moſem inordinatè enarraviſſe.

III. Sed enim, ne comminiſcantur, nos a difficultate decedere, dum ab ipſis quærimus, quod contrà ipſi quærunt a nobis; dicimus, Moſem in creationis hiſtoria dignitatis naturæque ordinem ſervaviſſe, ſpectata tamen præcipua divini Opificis in rebus producendis idea. Haud dubiè præcipua æterni Creatoris idea, fuit angelorum hominumque productio, illarum ſcilicet creaturarum, in quibus, non ſolùm excellentia naturæ, ſed etiam mentis judicium, & voluntatis electio omnipotentiæ ejus plurimum honoris, gloriæque tribueret. Cuncta & in cœlo & in terra, ſi-

ve

ve aſtra, ſive plantæ, ſive animantia, ſive lapides glorificant Deum factorem ſuum; & unius angeli, unius hominis eſt, non ſolùm propriæ excellentia & præſtantia naturæ, ſed judicio etiam, atque electione Deum glorificare. Quare divinus propheta Moſes conſultò, appoſitèque angelorum & hominis creatione univerſam Geneſeos comprehendit hiſtoriam, incipiens nimirum ab angelis & in hominibus deſinens. Incepit ab angelis, quos vel in cœlo, vel in luce creatos eſſe recenſuit; quum enim bonum angelorum non ſit niſi Deus, Deus nanque fuit, eſtque & temporanea & æterna angelorum felicitas, & nulla res eſt, præter Deum, quæ ad Angelorum conferat felicitatem, optimo quidem jure, indicata exſiſtentia Dei illis verbis „ *In principio creavit Deus* „ ante alteriuslibet rei creationem, angelorum creatio debuit indicari. Verùm, quia bonum hominis, non modò Deus eſt, ſed etiam omne id quod a Deo eſt; ad ſupremam quippe mundi dignitatem creatus eſt homo, omnium quæcumque in terra facta ſunt, moderator, & princeps, qui ſcilicet & piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis terræ præeſſet imperio ſuo; proinde debitus naturæ & dignitatis ordo poſcebat, ut primùm imperii, & deinde imperatoris productio recenſeretur, ne imperator deſcriptus expers atque exſors imperii judicaretur. Quidquod non ſolùm, dum univerſi deſcriptio hominis deſcriptioni præmittitur, ſed etiam dum ejuſdem univerſi partes veluti diverſo die formatæ abſolutæque narrantur, debitus ordo ſervatur? Eſtò, ut libet adverſariis, vera ſit oppoſita nobis de angelorum creatione ſententia: dicamuſque, Deum primo die corpoream lucem creaviſſe, altero firmamentum, tertio plantas, quarto luminaria, quincto volatilia & piſces, ſexto beſtias terræ & hominem. quid? an in hac narratione nullus eſt ordo? omnium rerum creatarum narrationi creatæ lucis narratio præponitur; illius, inquam, lucis, qua omnia manifeſtantur, omnia ornantur, fœcundantur omnia; ea enarrata, cunctorum ſub-

M inde,

inde, quæ manifeſtantur, ornantur, & fœcundantur per ipſam, nempe cœli, aeris, maris, terræque narratio inſtituitur; cœli quidem & aeris, quum ad dividendas aquas factum firmamentum deſcribitur; maris autem & terræ, quum congregatæ dicuntur aquæ ad detegendam aridam, ecquis opinabitur unquam ſtrictiorem enarrandi methodum? Enarratio iſta de cœlo ad aerem, de aere ad mare, de mari ad terram gradatim ordinatèque deſcendit. harum quattuor præcipuarum mundi partium, nimirum cœli, aeris, maris, terræque enarrationem, eorum enarratio ſubſequitur, quæ cœlum, aerem, mare, terramque ornant & implent: propterea recenſentur luminaria & ſtellæ, quæ ornant cœlum: volatilia, quæ aerem ornant; piſces, qui implent mare; animantia, quæ terram implent. Sique iſtorum omnium ornatuum enarrationi, herbarum plantarumque, quæ terram ornant & implent, enarratio præmittitur, futiliter, & ſinè myſterio id factum eſſe quis putet? nanque, quia ligna *fixa radicibus* (inquit Auguſtinus) *continuantur terris, & connectuntur*, propterea ſimul cum terra ipſa a Moſe deſcriberentur oportuit. Præterquam quod, ſi præcipuæ univerſi partes ſunt cœlum & terra, ita ut univerſus dicatur orbis, quum cœlum & terra dicitur, conſultò divinus Propheta, enarrata creatione lucis, quæ ornat cœlum, enarravit creationem plantarum, quæ ornant terram. ibi, antequam luminaria & aſtra deſcriberet, præcipuum cœli ornatum deſcripſit lucem; hìc, antequam animantia hominemque deſcriberet, præcipuum terræ decus deſcripſit plantas. noluit ſinè aliquo ornatu deſcribere terram, quia ſinè aliquo ornatu non deſcripſit cœlum. Quemadmodum quippe lux communior eſt cœli ornatus, ita plantæ communiores ſunt terræ fructus. ex luce in cœlo accenduntur aſtra, ex ligno in terris animantia nutriuntur. Non futiliter ergo non inconſultò cœlum terramque deſcribens Moſes, in cœlo, ante aſtra, lucem; in terra, ante animantia, ligna deſcripſit. At enim, ſi non abſque ratione, nec

etiam

etiam abſque myſterio id præſtitit divinus Propheta Moſes. Enimverò præ omnibus cœli terræque ornatibus conſpicua excellunt ligna; quia ex ipſis Signum ſalutis noſtræ, Crux nimirum, quæ *ſplendidor cunctis aſtris* ab ipſa Eccleſia dicitur, deſumtum eſt lignum tantæ excellentiæ, atque decoris, ut ab ipſo *Dominum regnare* regius Pſaltes cecinerit. neque deſpiciat, aut contemnat hìc Lector optimus, inter Davidis vaticinium, & narrationem Moſis, harmoniam jucundiſſimam conſiderare. Narrat Moſes, mundi creationem, prædicit David mundi redemtionem. narrans Moſes mundi creationem, cœli, aeris, maris, terræque productionem priùs univerſim deſcribit: prædicens David mundi redemtionem, priùs univerſim deſcribit cœli, aeris, maris, terræque exultationem „ *Lætentur*, inquit, *cœli, & exultet terra: commoveatur mare, & plenitudo ejus, gaudebunt campi & omnia quæ in eis ſunt* „. Pſal. 95. narrans Moſes cœli, maris, terræque creationem, ligna germinantia recenſet: David item, prædicta cœli, maris, terræque exultatione, ligna exultantia recenſet „ *Exultabunt omnia ligna ſilvarum a facie Domini, quia venit* „. in creationis hiſtoria aſtris præfert Moſes agrorum virgulta: in Redemtionis prophetia aſtris, cunctiſque creatis præfert David ligna ſilvarum. quum igitur ſacri Interpretes doceant, ideo David ligna prætuliſſe „ *quia ex eis ſumendum erat ſalutis noſtræ ſignum* „ cur item dici non poterit ob eandem omnino cauſſam ipſis quoque aſtris lignorum enarrationem prætuliſſe Moſem? Non ſolùm in primo, ſed etiam in altero Geneſeos capite rebus omnibus Moſes lignum prætulit; regerens quippe ſacram creationis hiſtoriam „ *Iſtæ ſunt* (inquit) *generationes cœli & terræ, in die, in quo creavit Deus cœlum & terram, & omne virgultum agri &c.* „ in primo recenſuit ligna ante aſtra, in altero ſinè aſtris ligna recenſet. Itaque minimè dubium eſt, in rerum creatarum hiſtoria non ſinè myſterio aſtrorum productioni productionem lignorum præmiſiſſe Moſem; quia nimirum ex ligno illud longè feliciſſimum ſanctiſſimum-

mumque ſalutis noſtræ ſignum adorandum erat, quod *ſplendidius cunctis aſtris* nuncupat univerſa Eccleſia Chriſti. His tamen obiter dumtaxat dictis, ad litteræ ſenſum regredimur; aſſerimuſque, Moſem cœlum terramque deſcripſiſſe: & ſicut ante aſtra præcipuum cœli ornatum recenſuit lucem, ita ante animantia præcipuum terræ decus deſcripſit lignum.

IV. Sed fac inter res creatas, quas deſcribit Moſes, nullum penitus ordinem intereſſe. quid enim? annon inordinatio ipſa Auguſtinianam ſententiam majorem in modum confirmat, comprobatque? Ordinata rerum narratio ordinatam rerum indicat ſucceſſionem, & facile opinatur quis fuiſſe ſucciſivè producta, quæ leguntur ordinatè narrata. Inordinata autem, promiſcua, atque indigeſta narratio, illud, etiam in Auguſtini ſententia, dumtaxat efficit, ut ea omnia illo prorſus modo producta credantur, quo deſcripta leguntur. ita enim *ſimultaneum* opificium rerum, earundem ordinem videtur deſtruere, ut idem ferè ſit plura ſimul, ac indiſtinctè produci. Porro, ſi demus adverſariis, nullum in narratione Moſis rerum creatarum ordinem eſſe, ipſamet inordinatio *ſimultaneam* nobis rerum productionem oſtendit: idque ex primo libri ejuſdem capite accerſito exemplo perſpicuum fit. Certum eſt, Deum omnium creaturarum imperium primo homini tradidiſſe, non ſucceſſivè quidem, hoc eſt, modò in plantas, tùm in aves cœli, deinde in piſces maris, poſtea in beſtias terræ, ſed unico voluntatis ſuæ præcepto, dicens *Dominamini*, omnia ſubjecit pedibus ejus. Dominium illud a Deo impertitum Adæ recenſens Moſes debitum narrationis ordinem non ſervavit; ſcripſit enim „ *Benedixitque illis Deus, & ait, Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram* „. In ea ſcilicet narratione nullus eſt habitus ordo: non ordo qui ad ſuperiora conſcendat, eo enim pacto incipere debuiſſet a dominio illorum, quæ ſunt ſuper terram; non ordo, qui ad inferiora deſpiciat, ſic enim incipere debuiſſet a dominio

vo-

volatilium cœli: exorſus eſt autem a dominio, quod medium eſt, videlicet a dominio eorum, quæ ſunt in mari, & exinde adſcendit ad volatilia, deinde ad beſtias deſcendit. Sine ordine narrationis deſcribitur, quod ſinè ordine largitionis tribuitur. Idem prorſus in rei cauſſa eſt. Deus cuncta ſimul produxit, dicente Eccleſiaſtico „ *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul*„ &, quoniam voluit Deus omnia ſine creationis ſucceſſione producere; omnia potuit Moſes ſine ordine narrationis deſcribere. Itaque in adverſarios aſſerimus, vel falſum eſſe, nullum exſtare ordinem in divina creationis hiſtoria; vel ſi nullus exſtet, verum eſſe, inordinationem ipſam Auguſtinianæ de rerum creatione ſententiæ plurimum convenire.

CAPUT XIII.

I. Recens in Auguſtini ſententiam ex divina Scriptura argumentum eruitur. II. Idem diluitur. III. Eſtii argumentum ſolvitur. IV. Solutio exemplo illuſtratur. V. Sancti Patris teſtimonium explicatur. VI. Alia item a creationis die difficultas repetita expeditur. VII. Et novum Pererii momentum propulſatur.

I. PRæcipui argumenti ex divinis ſcripturis dèpromti, quod certè majori aliquo molimine objicere potuiſſent adverſarii, nec meminerunt quidem. Legimus in libro ſapientiæ „ *Hæc illum, qui primus formatus eſt a Deo Pater orbis terrarum, quum ſolus eſſet creatus cuſtodivit*„ & in D. Pauli epiſtola ad Timotheum„ *Adam enim primus formatus eſt, deinde Eva*„. ex hiſce autem ſcripturæ verbis colligitur, Hevam poſt Adam creatam fuiſſe; ac propterea defendi ultra non poſſe, juxta Auguſtini ſententiam, creatos fuiſſe ſimul.

Sap. 10. *1. ad Timoth. 2.*

II. Si laudatæ ex divina ſcriptura ſententiæ, quemadmo-

admodum de Ada & Eva loquuntur, de ſole & luna item loquerentur; haud dubiè retractanda foret Auguſtini ſententia, qua edicitur, ſolem & lunam integrè abſolutèque in primo creationis momento propriam accepiſſe naturam. Quum autem loquantur dumtaxat de Ada & Eva, quos Auguſtinus docuit, in eo momento, in quo Deus creavit omnia ſimul, ſimul itidem creatos fuiſſe, ſed quantùm ad illorum genus, quod in rationibus ſuis cauſſalibus latenter erat, non autem quantùm ad ſpectabilem & perſpicuam eorundem formam, atque figuram, ſecundùm quam primùm productus fuit Adam extra paradiſum, ac ſubinde Eva in paradiſo; nihil eſt quod prælaudatæ divinæ ſcripturæ ſententiæ contra Auguſtinum producantur: quippe intelligi debent ſolùm de Ada in propria & aſpectabili ſpecie conſtituto; in qua nimirum & a ſapientia poterat cuſtodiri, & a ſerpente decipi potuiſſet.

III. Maximì facit Eſtius argumentum illud, quo adſtruitur impoſſibile eſſe, uno eodemve momento fieri, quæ in primo Geneſeos capite ſex diebus facta narrantur; non enim, inquit, eſſe potuerunt ſimul tenebræ & Lux; aquarum confuſio, & earundem diviſio; veſperæ, & mane; aliaque id genus plurima. Eò verò loci eximius ille Theologus Auguſtinianæ ſententiæ immemor prorſus fuiſſe videtur. nanque ſi penes Auguſtinum defenditur, Moſem ſuam ita hiſtoricam narrationem adornaviſſe, ut angelicas cognitiones, quaſi temporis dies, deſcripſerit; qui opinionem iſtam impugnandam aſſumit, non exſiſtendi, ſed cognoſcendi ordinem apprimè conſideret; neve inquirat, utrum in eodem momento temporis queant eſſe ſimul tenebræ & lux; ſed, utrum, jam in primo temporis momento creata luce, poſſit angelus priùs tenebras, poſtea lucem cognoſcere. En igitur, quo ſenſu, data Auguſtini ſententia, verba Moſis accipienda ſint. tametſi Deus omnia ſimul creaverit, nihilo tamen ſecius angelica mens priùs terram inanem & vacuam, hoc eſt informem incompoſitamque cognovit terram illam, ex qua cuncta inferiora,

ra, veluti ex communi quadam materie formata ſunt: quæ quidem inanitas atque informitas tenebræ erant, hoc eſt privationes erant formatæ naturæ; non perinde quaſi in re ipſa primò tenebræ fuerint, ac deinde lux; ſeu, primò fuerit informis, atque deinceps formata rerum natura; ſed quia angelica mens illam priùs, hanc poſteriùs aſſequuta eſt.

IV. Sed enim iſtiuſmodi veritatis enucleatiùs ediſſerendæ cauſſa, non erit abs re, nos exemplo uti, quo uſus eſt Auguſtinus. Vox materia dicitur, ex qua verba fiunt; at non propterea qui verba profert, priùs informem vocem, deinde ex ipſa educit verba formata; ſed eodem prorſus momento, quo educitur vox, & verba fiunt. ita in re noſtra: Deus non creavit priùs materiem informem, ac deinceps ex ea quarumcumque rerum naturas in propria ſpecie formavit; aſt unico indiviſibilique momento terram, hoc eſt communem materiem, ex qua omnia inferiora iſtæc facta ſunt, omnipotens fecit; ſimulque res omnes, quæ ex ipſa ſunt, ex ipſa creavit. porro quemadmodum humana mens poteſt priùs intelligere vocem, ex qua verba fiunt, quàm verba ipſa, quæ fiunt ex voce; ita potuit angelica mens priùs cognoſcere materiem, ex qua fiunt res, quàm res ipſas, quæ ex materia fiunt. humana mens priùs vocem, & poſtea verba cognoſcens, ordinatè cognoſcit; quia verba fiunt ex voce, non autem ex verbis vox: angelica mens priùs materiem, ac poſtea res ipſas cognoſcens, ordinatè item cognoſcit; quia res fiunt ex materia, non autem materia ex rebus. ac demum, ſicut, quum humana mens priùs vocem informem, & poſtea eandem verbis formatam cognoſcit, non fit conſequens, priùs in voce informitatem, deinde formam fuiſſe; ita, quum mens angelica priùs informem, poſtea formatam materiem agnoſcit, non fit conſequens priùs in materia informitatem, deinceps formam fuiſſe. Quamobrem Eſtio reponendum eſt, enarraviſſe quidem Moſem terram inanem, tenebroſam, aquiſque circumfuſam; ac deinceps repletam, illumi-

Lib. 1. de Geneſ. ad litt. cap. 15

luminatam, detectamque fuiſſe, ſed non alia id præſtitiſſe ratione, niſi ea, qua enarret quis, vocem primùm inanem eſſe atque informem, & deinde verbis compleri formarique. narravit quod præcognovit angelica mens, non verò quod in natura ipſa præceſſit. proinde minimè obeſt Auguſtinianæ ſententiæ propoſitum argumentum.

V. Verumtamen Auguſtinum contra Auguſtinum ipſum proferens adhuc inſtat Eſtius. Quum enim S. D. in libro de Cathechiz. rudibus dixiſſet, Deum ſex diebus fuiſſe operatum, ſeptimo autem die requieviſſe, ſubdidit „ *Poterat enim omnipotens uno momento temporis omnia facere* „ quaſi dixerit, ob certam rationem non fecit, quamvis potuiſſet. Hìc ſane nimis immoderatè & intemperanter agunt adverſarii, contendentes, Auguſtinum Auguſtino contradicentem oſtendere; quapropter neutiquam adinvenientes quid dixerit, producunt quid, quaſi dixerit, Auguſtinus; Eſtio ajente pro ipſis „ *quaſi dicat, ob certam rationem non fecit* „. Quod reapſe dicit Auguſtinus, non aliud ſignificat, niſi Deum non laboraviſſe in opere ſex dierum, ut requieviſſe indigeret ſeptimo die; non enim laborat, qui poteſt cuncta uno momento producere. En verba Ipſius. „ *Poterat enim omnipotens, & uno momento temporis omnia facere; non autem laboraverat, ut requieſceret, quando dixit & facta ſunt; mandavit, & creata ſunt* „. Non dixit, poterat & non fecit; dixit, poterat; & quia poterat, inquit, non laboravit: optimè enim ſubinfert Eum non laboraviſſe, quandoquidem uno temporis momento poterat omnia producere.

Lib. de cathec. rud. cap. 17.

VI. At enim rurſum ex eo vires inſtaurant, quòd communis Patrum & ejuſdem Auguſtini ſententia ſit, Deum Dominico die mundum creaviſſe, die autem Sabbati requieviſſe. Quis verò, ipſi inquiunt, non viderit, inter Dominicum, & Sabbati diem quinque intereſſe dies? Hoc autem dato, ſex diebus a Deo mundum creatum fuiſſe quis dubitet? Inferunt profecto quod verum eſt, immo quod de Fide eſt; nem-

pe

pe Deum ſex diebus univerſum creaviſſe, quod non ſemel, & iterum, ſed frequentiſſimè repetit Auguſtinus, edicens „*ſex diebus operatus eſt, & ſeptimo die requievit*.„ quapropter, ſi adverſarii tam anxiè cupiant impugnare Auguſtinum, ingerant non quod Auguſtinus fatetur, ſed quod pernegat Auguſtinus. ingerant, non Deum ſex diebus operatum eſſe, ſed ſex illos dies, quibus operatus eſt Deus, non tropicos, non ſpirituales; ſed naturales, ſed corporeos fuiſſe dies. Fortaſſis adjicient, fuiſſe naturales, corporeoſque dies illos, quorum alter Dominicus, alter Sabbaticus nuncupatur dies. Verùm è veſtigio reponimus, naturali quidem corporeoque die, qui fuit dies Dominicùs, Deum creaviſſe mundum, & in primo Dominici diei momento creaviſſe: proinde ſeptem illos tropicos ſpiritualeſque dies in primo Dominici diei momento contineri. quare, quum dicitur, Deum die ſeptimo requieviſſe, ſeptimus ille dies non pro termino hebdomadæ primæ, ſed pro divinæ operationis termino per angelum perfectè cognitæ, & a Moſe per allegoriam Sabbati ſignificatæ accipiendus eſt: quatenus videlicet, ſicut dies Sabbaticus dies eſt requiei humanæ, ita & ſeptimus ille dies fuit Divinæ ceſſationis cognitio. Hoc impetant adverſarii, qui cupiunt Auguſtinum impetere.

De cathec. rud. c. 17.

VII. Dicit Pererius, nec fidem ullam, neque ullam omnino rationem habere poſſe, quòd Moſes exponens Ebræis opificium mundi, tam obſcurè, tamve enigmaticè loqueretur; nimirum per eas angelicas cognitiones matutinas, veſpertinaſque, Theologis ipſis hodiedum vix bene perſpectas. Ego verò miror, interpretem iſtum tam oſcitanter legiſſe, & quod ſcripſerit Moſes, & quod docuerit Auguſtinus. Ait, nullam fidem, nullamve rationem eſſe, quòd Moſes ita enigmaticè, videlicet per angelorum cognitiones matutinas veſpertinaſque, opificium Mundi deſcriberet, quum ad populorum captum Geneſim rerum in ſex dierum operationes diſcernens, longè oppoſitam deſcribendi viam

Moſes iniverit. Aliud eſt, quod ſcripſit Moſes; aliud, quod explicuit & docuit Auguſtinus. Moſes ſcripſit ſex dies, Auguſtinus explicuit ſex cognitiones. Scribens Moſes ſex dies, narrationem ſuam rudi Ebræorum captui accommodavit; explicans Auguſtinus ſex cognitiones, explicationem ſuam perſpicaci ſapientum animo exhibuit. Itaque Moſes clarè deſcripſit, quod Auguſtinus profundè explicavit: Ille rudibus ſcribens, Hic ſapientibus explicans. Porro qui Auguſtinianam explicationem deſerit, è ſapientum cœtu decedat, rudiumque vulgo accenſeatur, oportet: ajente Philone „ *Ruſticanæ ſimplicitatis eſt, putare ſex diebus aut utique certo tempore mundum conditum.*

CAPUT XIV. & ultim.

I. Auguſtiniana ſententia ab recentiorum peripateticorum commentis eruitur. II. Eorundem reſponſum refutatur. III. Aliud proinde Auguſtini teſtimonium expenditur. IV. Reliqua item adverſariorum effugia præcluduntur. V. Seminales rerum cauſſæ penes Auguſtinum fuſiùs explicantur. VI. Eſtii argumentum ſolvitur. VII. Præcipua objectio ab ipſomet S. Doctore proponitur, exponiturque. VIII. Cetera adverſariorum objecta refelluntur.

I. QUod præcipuè in hoc poſtremo noſtræ Differtationis capite ſupereſt expendendum, illud profectò eſt, ut nimirum Auguſtiniana ſententia ab Recentiorum commentis penitus ſecernatur; ne opinetur quis, D. Patrem docuiſſe Plantas, Animantia, & Hominem *potentialiter* dumtaxat & *cauſſaliter* tum fuiſſe producta, quum omnia ſimul creavit conditor omnium Deus: perinde quaſi ea omnia in *potentia materiæ* præcontinerentur, &, præter hoc unum, nullum aliud eſſe ulla ex parte receperint. Verùm enimvero D. P. Auguſtinus, dum ea docuit,

nec

nec habuit, neque habere potuit unquam tam ſcholaſticam, tamve peripateticam diſceptandi rationem. Si enim primam illam Moſaicam ſententiam explicans,, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, docuit, *Per terram intelligi poſſe corporalem materiem adhuc imperfectam*,, non potuit ſubinde pro terra, quæ protulit plantas, pro terra, quæ animantia produxit, materiem ipſam intelligere, in cujus *potentia* & plantæ eſſent, & animantia: neque enim potis eſt tanti Doctoris ſapientia in plantis, animantibus, hominibuſque, quatenus a Deo producta ſunt, tale quidpiam ſecundùm illam materiatam vulgi potentiam opinari. In ſuperiori capite tertio ex pluribus Auguſtini teſtimoniis ſatis disertè demonſtravimus, S. Doctorem docuiſſe, Deum ita produxiſſe omnia ſimul, ut etiam plantas, animantia, hominesque ita in ea conditione produxerit, ut deinceps eadem viſibiliter extra cauſſas ponens, nihil novi penitus operaretur, ſed ea ratione operatum fuiſſe, ſicut & nunc per eorundem generum adminiſtrationem operatur. Verum quidem eſt, non ſemel dixiſſe Auguſtinum, in ea conditione, in qua Deus creavit omnia ſimul, plantas, & animantia *ſecundùm potentiam* producta fuiſſe; ſed enim eodem in libro id ipſum diſertiſſimè explicat, ne judicet quis, nullum habere eſſe, quod productum dumtaxat *in potentia* dicitur: & de homine præſertim ſermonem habens, de quo dicitur in primo ſuæ creationis momento, nec perfectæ ætatis hominem, nec infantem, neque puerperium fuiſſe, nec viſibile quidem ſemen, monet, ne exinde autumet quiſpiam, Ipſum dixiſſe,, *aliquid omnino non eſſe*,,. Docet igitur Auguſtinus, in primo creationis momento & plantas, & bruta, & hominem *aliquid* fuiſſe: immo docet, tunc & hominis animam fuiſſe, quia illum fecit Deus ad imaginem ſuam; & fuiſſe corpus, quia illum creavit Deus maſculum & feminam. ſubdit tamen, tunc quidem inviſibiliter tantùm, & in ſuis rationibus cauſſalibus latenter fuiſſe; quod totum præcipuè aſſerit,, *Propter illam operum conſummationem*,

Lib. 1. de Geneſ. ad litt. cap. 1.

Ibidem cap. 7.

quæ (ait Ipſe) *non video quomodo poſſit intelligi, ſi defuit aliquid tunc non cauſſaliter conditum, quod poſtea viſibiliter conderetur* „. Si autem quæratur, quid ſit illud eſſe, quod planta & brutum in ſuis rationibus cauſſalibus inſertum habuit; nihil aliud ex Auguſtini mente reponi poterit, niſi primordiale quoddam, atque abditum eſſe rei, quatenus latenter in cauſſis ſuis a Deo inductum eſt: cujus quidem ſimilitudo quædam exſtat in ſeminibus „ *propter illa*, (inquit S. P.) *quæ in eis futura inſerta ſunt* „. quòd ſi iis omnibus ignoretur, nihil ſupereſt, niſi ut cum eodem Auguſtino protinus repetamus „ *Sed non intelligit: quid ergo faciam, niſi quantum poſſum ſalubriter moneam, ut ſcripturæ Dei credatur, & tunc hominem factum, quando Deus, quum factus eſt dies, fecit cœlum & terram, de quo alibi ſcriptura dicit, qui vivit in æternum creavit omnia ſimul; & tunc quando jam non ſimul, ſed ſuis quæque temporibus creans, finxit eum de limo terræ, & ex ejus oſſe mulierem: quum nec iſto modo eos illo ſexto die factos, nec tamen eos illo ſexto die non factos intelligere ſcriptura permittat*.

Ibidem lib. 6. c. 6.

II. Inclamant hìc adverſarii, dicuntque: Auguſtinus loquitur de omnibus omnino plantis, brutiſque; non ſolùm de illis, quæ germinaverunt, ſeu vixerunt in exordio mundi, ſed de illis etiam, quæ in progreſſu ſæculorum multiplicata ſunt, & multiplicantur etiamnum, ſuntque in poſterum multiplicanda; quæ omnia vel operatus eſt jam, vel operatur modò, vel deinceps operaturus eſt Deus, non autem novi quidquam addendo, ſed illa eadem, quæ tunc creavit, adminiſtrando. at dici nequit, ea omnia tunc Deum ſimul creaviſſe, ſed dumtaxat cauſſis ſuis eadem producendi virtutem intruſiſſe; quod idem penitus eſt, ac in pura cauſſarum potentia, & virtute; ſive, ut Scholæ ajunt, *potentialiter*, & *virtualiter* contineri: quamobrem idem aſſerendum eſt de plantis & brutis a Deo in mundi exordio productis, ut nimirum eo pacto tunc & germinarent, & viverent. Reſpondemus, verum eſſe ex Auguſtini mente colligi, omnia ſimul a Deo producta fuiſſe,

fuiſſe, atque ea item omnia quæ nunc ſunt, quæve deinceps erunt; ita ut, ſic Deus die ſexto conſummaverit opus ſuum, quod fecerat, a quo die ſeptimo requievit, ut poſtea per integram ſæculorum ſucceſſionem nihil omnino denuo operatus ſit, operetur, ſitque operaturus, præter eorundem, quæ tunc creaverat, adminiſtrationem. Totum hocce ex prælaudatis S. Doctoris verbis perſpicuè oſtenditur, in quibus mentem ſuam luculenter explicat, edocens, formationem Adæ de limo terræ, & Evæ de coſta Adæ „ *Pertinere ad operationem, quæ fit jam per volumina ſæculorum, qua uſque nunc operatur* „. & ibi luculentiùs, ubi diſtinguens varios conditæ naturæ modos, ait „ *Aliter in Verbo Dei, ubi iſta non facta, ſed æterna ſunt; aliter in elementis mundi, ubi omnia ſimul facta futura ſunt; aliter in rebus, quæ ſecundùm cauſſas ſimul creatas, non item ſimul, ſed ſuo quæque tempore creantur* „. primus modus pertinet ad res in Verbo Dei expreſſas, alter ad res in cauſſis ſuis inſertas, poſtremus ad res extra cauſſas productas; & maniſeſtiſſimum eſt, in altero ex tribus prælaudatis modis, D. Patrem cunctas res futuras incluſiſſe, quare alibi de Deo cuncta ſimul in cauſſis ſuis creante ſcripſit „ *Rebus factis rerum faciendarum cauſſas inſerebat, & omnipotenti potentia futura faciebat* „. Falſum tamen eſt, Auguſtinum intellexiſſe, tunc omnia futura a Deo producta fuiſſe, ea dumtaxat ratione, ut eorum cauſſis producendi virtutem tantùm largitus ſit Deus; falſum profectò, inquam, eſt, hoc intellexiſſe Auguſtinum. docet enim S. Doctor, tunc Deum ita omnia ſimul creaviſſe, ut futura etiam, eorundemque genera, & naturas, quaſi ſemen quoddam, ſive promordiale eſſe, ſuis quæque cauſſis inſeruerit: ita ſanè, ut quum pro ſucceſſione temporum extra cauſſas eadem ponerentur, non de novo a Deo producta, ſed palam dumtaxat ejecta, per ſolam generum adminiſtrationem in iiſdem operante, dicerentur. quod in libro 3. de Trin. cap. 8. maniſeſtiſſimè oſtendit; quippe ibi diſſerens de Magis Ægyptiorum, qui exemplo Moſis mira & portentoſa

Lib. 6. cap. 3.

Lib. 6. cap. 10.

Lib. 6. cap. 8.

tentoſa

tentoſa coram Pharaone operabantur, oſtendit ſapientiſſimus Doctor, illos tunc non Dæmonum virtute aut ranas, aut ſerpentes, aut muſcas creaviſſe; propterea quod quædam eorum omnium ſemina ab initio mundi in elementis ipſis conſtituta ſunt, ex quibus per debitam & congruam eorundem adminiſtrationem poſſunt ea omnia animantia in lucem prodire, atque generari. Do ejuſdem verba. „ *Non enim ipſi eas creaverunt: omnium quippe rerum, quæ corporaliter, viſibiliterque naſcuntur, occulta quædam ſemina in iſtis corporeis mundi bujus elementis latent. Alia ſunt enim hæc jam conſpicua oculis noſtris ex fructibus, & animantibus;* ALIA VERO ILLA OCCULTA ISTORUM SEMINUM SEMINA. *Unde, jubente Creatore, produxit aqua prima natatilia & volatilia. terra autem prima ſui generis germina, & prima ſui generis animalia. neque enim tunc hujuſcemodi fœtus ita producti ſunt, ut in eis quæ producta ſunt, vis illa conſumta ſit, ſed plerumque deſunt congruæ temperamentorum occaſiones,* QUIBUS ERUMPANT, *& ſpecies ſuas peragant. Ecce enim breviſſimus ſurculus ſemen eſt, nam convenienter mandatus terræ arborem facit. Hujus autem ſurculi ſubtilius ſemen aliquod ejuſdem generis granum eſt, & bucuſque nobis viſibile. Jam verò hujus etiam grani ſemen, quamvis oculis videre nequeamus, ratione tamen conjicere poſſumus: quia niſi talis aliqua vis eſſet in iſtis elementis, non plerunque naſcerentur ex terra quæ ibi ſeminata non eſſent: nec animalia tam multa nulla marium feminarumque commixtione præcedente, ſive in terra, ſive in aqua: quæ tamen creſcunt, & coeundo alia pariunt, quum illa nullis coeuntibus parentibus orta ſint. Et certè apes ſemina filiorum non coeundo concipiunt, ſed tamquam ſparſa per terras ore colligunt. Inviſibilium enim ſeminum Creator, ipſe Creator eſt omnium rerum: quoniam* QUÆCUMQUE NASCENDO AD OCULOS NOSTROS EXEUNT, EX OCCULTIS SEMINIBUS ACCIPIUNT PROGREDIENDI PRIMORDIA, *& incrementa debitæ magnitudinis, diſtinctioneſque formarum, ab originalibus tamquam regulis ſumunt*„. Hinc Philoſophi putent, D. P. Auguſtinum ab ipſo mundi exordio in elementis quædam inſerta rerum omnium

De Trin. lib. 3. c. 8.

ſemina

ſemina cognoviſſe; excogitaviſſe quidem quamdam producendi *vim in elementis*, ſed etiam ultra illam quædam rerum omnium ſemina admiſiſſe, & in ipſis ſubtiliora etiam alia, oculis quidem inviſibilia, viſibilia autem menti, quæ ſeminum ſemina nuncupavit, aſſeruiſſe. Et quoniam alibi S. Doctor edocuit, omne corpus *eſſe*, ut ajunt „*in infinitum diviſibile*„ ex Eodem dicimus, Creatorem omnium Deum ita omnia ſimul ſua omnipotentia creaviſſe, ut in ipſis rerum omnium primordiis, ſive quaſi ſeminibus, futurarum omnium rerum alia, juxta eorundem genus, ſemina inſeruerit: ita ut tunc creaverit omnium ſeminum ſemina, non tamen ullam exinde extrahens infinitatem, ſed certos rebus quibuſque fines „ *quum omnipotenti poteſtate ſua futura faciebat* „ imponens.

III. Quòd ſi libros de Geneſi ad litteram iterum percurramus, ea in re hanc ſemper Doctori ſapientiſſimo fuiſſe mentem, habebimus haud dubiè validiſſimum argumentum. Quærit ibi S. Doctor, an judicandum ſit, in exordio mundi omnia etiam inſecta, puta vermes, aliaque id genus animalcula, quæ vel ex aqua, vel ex terra ſolent oriri, a Deo creata fuiſſe; ea enim, quæ ex corporibus animalium, & præſertim mortuorum gignuntur, judicat nequaquam tunc temporis creata fuiſſe: verumtamen addit, in omnia animata corpora tunc inditam fuiſſe „ *Quamdam vim*, immo *Quamdam præſeminatam materiem*; & *quodammodo initiata rerum primordia* „ ex quibus, veluti ex *originalibus cauſſis* ſuo quæque tempore deinceps educerentur hæc omnia. Sed ipſa Auguſtini verba hìc placet exſcribere. „ *Nonnulla etiam de minutiſſimis animalibus quæſtio eſt, utrum in primis rerum conditionibus creata ſint, an ex conſequentibus rerum mortalium corruptionibus. Nam pleraque eorum aut de vivorum corporum vitiis, vel purgamentis, vel exbalationibus, aut cadaverum tabe gignuntur: quædam etiam de corruptione lignorum & berbarum, quædam de corruptionibus fructuum, quorum omnium non poſſumus rectè dicere Deum non eſſe Creatorem. Ineſt enim*

De Geneſ. ad litter. lib. 3. c. 15

Lib. 3. cap. 14.

om-

omnibus quoddam naturæ ſui generis decus, ſic ut in his major ſit admiratio benè conſiderantis, & laus uberior omnipotentis artificis: qui omnia in ſapientia fecit, qui a fine uſque ad finem pertendens, & ſuaviter cuncta diſponens, nec ea ipſa rerum noviſſima, quæ pro ſui generis ordine diſſolvuntur, & quorum diſſolutionem ex pena noſtræ mortalitatis horremus, relinquit informia: ſed creat minima corpore, acuta ſenſu animantia; ut majore attentione ſtupeamus agilitatem muſcæ volantis, quàm magnitudinem jumenti gradientis, ampliuſque miremur opera formicarum, quàm onera camelorum. Sed utrum in primis, ut dixi, rerum conditionibus, quæ iſto ſex dierum ordine creatæ narrantur, hæc quoque minima inſtituta credamus, an poſtea conſequentibus corruptibilium corporum ſolutionibus, hoc quæritur. Et poteſt quidem dici ea minutiſſima, quæ vel ex aquis, vel terris oriuntur, tunc creata; in quibus etiam illa non abſurdè intelliguntur, quæ naſcuntur ex his, quæ, terra germinante, orta ſunt. Et quia præceſſerant conditionem, non ſolùm animalium, ſed etiam luminarium. Et quia terræ continuantur per radicum connexionem, unde illo die, quo apparuit arida, exorta ſunt, ut potiùs ad ſupplementum habitationis, quàm ad numerum habitatorum pertinere intelligerentur. Cetera verò, quæ de animalium gignuntur corporibus, & maximè mortuorum, abſurdiſſimum eſt dicere, tunc creata, quum animalia ipſa creata ſunt: niſi quia inerat jam in omnibus animatis corporibus vis quædam naturalis & quaſi præſeminata materia, & quodammodo initiata primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporum pro ſuo quæque genere ac differentiis erant exortura, per adminiſtrationem ineffabilem omnia movente Creatore. „ Quis autem ex his non percipiat probè, Auguſtinum intellexiſſe cuncta etiam futura a Deo fuiſſe ſimul creata, non quia virtutem ea producendi dederit elementis; ſed quia eorundem genera latenter in elementis ipſis inſeruerit? quis, inquam, hoc non percipiat ſtatim atque leget, D. Patrem affirmaviſſe tunc temporis etiam inſecta a Deo producta fuiſſe, eaque dumtaxat,

quæ

quæ ex cadaveribus oriuntur, excepiſſe; nihilo tamen ſecius, illorum quoque eſſe in viventibus corporibus & *præſeminatam materiem*, *& initiata primordia* docuiſſe? Si inſectorum etiam, quæ ex putreſcentibus tabidiſque mortuorum corporibus ſolent oriri, putat dari Auguſtinus & præſeminatam materiem, & initiata primordia; plus ſanè, habita eorum ratione, quæ ex terra, aqua, & aere naſcuntur, admiſiſſe putandum eſt; potiori autem jure, ſi de unoquoque genere reliquorum ſermo ſit, quæ perfecta animalia nuncupantur.

IV. Alii fortaſſe dicent, Auguſtinum ibi non de iis inſectis loqui, quæ modò ſub oculis noſtris naſcuntur, ſed dumtaxat de eorundem genere, an ſcilicet tunc temporis Deus etiam genus vermium produxerit. Sed hæc futiliter dicunt: etenim ex prælaudatis Auguſtini locis manifeſtiſſimè oſtenditur, Eundem loqui de ipſis rebus futuris, quas dicit, tunc latenter creaviſſe Deum, & nunc etiam pro vice temporum *adminiſtratorio actu* extra cauſſas viſibiliter ponere; quorum nedum dicit, prima tunc ſemina creata fuiſſe, verùm etiam in primis illis ſeminibus ipſa *ſeminum ſemina*, ita ut in illis inſerta fuerint, quæ deinceps generantur & fiunt: quod quidem nihil aliud eſt, quàm *explicari*, quæ priùs erant implicita, quàm *erumpere*, quæ priùs erant abſcondita. Urgebunt tamen, D. Patrem iis verbis „ *Potentialiter*, *Cauſſaliter*, *In potentia* „ & ſimilibus frequentiſſimè uti; ac proinde vel falſum eſſe intellexiſſe omnia, tunc, quod ad eorundem eſſe, quod ſcholę ajunt *actuale*, pertinet, creata fuiſſe; vel dicendum, ideo tunc creata dici, quia primordialibus illis cauſſis producendi virtutem largitus ſit Deus: quare omnia futura tunc dumtaxat *virtualiter*, & *in potentia* in elementis comprehenſa fuiſſe. Sed reponimus, D. P. Auguſtinum, propter penuriam verborum primordiale illud, & quaſi ſeminale futurarum omnium rerum eſſe & naturam penitus exprimentium, illis vocibus uſum fuiſſe. Verumtamen perſpicuum eſt, Mentem Ipſius ab hujuſmodi explica-

tione prorſus fuiſſe alienam: immo nulli dubium eſt, docuiſſe, primo temporis momento Deum omnia ſimul *latenter* produxiſſe, & nihil novi pro ſucceſſione temporum creaviſſe, ſed dumtaxat creata jam rerum genera perpetuò adminiſtraviſſe. Scripſit verò perſæpe *Potentialiter*, *Cauſſaliter*, ea tamen non ad rerum naturam in cauſſis contentam, ſed ad aſpectabilem illarum formam extra cauſſas, retulit. Quapropter eadem omnino res cùm *in actu*, tùm *in potentia* fuit, ſiquidem ſcholaſtico more ita loqui fas ſit; *in actu* quidem, quantum ad illud eſſe latens, quod res habent in cauſſis; *in potentia* autem, quantum ad idem eſſe, quod extra cauſſas res ipſæ viſibiliter proferunt.

V. Adversùs hæc omnia irruet haud dubiè univerſa ſcholaſticorum cohors, quippe qui fere omnes ſeminales rationes a Deo inditas rebus in ipſa creatione rerum admittentes, quandam materiei aptitudinem propter recipiendas formas dumtaxat in iiſdem excipiunt; quam quidem aptitudinem in illorum ſententia privatio ipſa conſequitur Sed enim, quò eorundem impetus cohibeatur, ſatis erit perſpicuas omnium oculis facere Auguſtini doctrinas, quibus manifeſtiſſimè ſtatuitur, non ipſi materiæ, ſed *elementis ipſis* ſeminales illas rationes inditas eſſe, quæ minimè ſunt illæ Peripateticorum *aptitudines*, *privationeſque*, ſed latitantia rerum genera, & primordiale eſſe quarumcumque rerum; quod tantum abeſt, ut in ipſa materia ſit *aptitudo quædam*, quin potiùs materiem ipſam idem præſeferat; quum illud S. Doctor etiam *præſeminatam materiem* diſertiſſimis verbis appellet. Aſſerimus ergo, non primæ materiæ (quam in natura rerum exſtare in præſenti diſcutere nolumus,) ſed elementis ipſis creatarum omnium rerum genera inſerta fuiſſe; ita ut, (quemadmodum ſcholæ ajunt) *actu* omnia ſimul a Deo, non ea modò quæ fuerunt tunc, ſed etiam quæ nunc ſunt, quæque deinceps erunt, creata fuerint: quia *actu* primordiale illud eſſe ſuum & completè inchoatum, & inchoatè completum omnia in rationibus cauſſalibus

acce-

acceperunt. Neutiquam hîc operæ pretium ducimus, nonnulla quorundam ſcholaſticorum argumenta ſolvere, quibus probare contendunt, D. P. Auguſtinum per ſeminalem rationem *materiæ aptitudinem* intellexiſſe, quum enim de aptitudine illa loquuntur, meo judicio, prorſus ineptè loquuntur: & ſatis erit nobis ex eadem ſacra Geneſeos hiſtoria rationis momentum expromere, quo ſtatuatur invictè, Auguſtinum pro ſeminali iſta ratione *primordiale rerum eſſe cauſſis ſuis inſertum* jure optimo percepiſſe. Narrans quippe Moſes, Deum produxiſſe plantas, antequam germinarent ſuper terram; haud equidem ſcribit, tunc Deum aptitudinem ullam ad recipiendas plantarum formas materiei indidiſſe; hanc enim aptitudinem materies ipſa ſemper habuit, non ſolùm ad exſiſtentes atque futuras, verùm etiam ad poſſibiles plantarum formas recipiendas. quare, ſi plantas producere idem eſſet, atque aptitudinem ad plantarum formas in materia ponere; duæ res abſurdiſſimæ ſubſequerentur: quarum una eſt, quòd etiam, antequam plantas produxiſſet Deus, plantæ eſſent dicendæ productæ, etenim in primo illo momento, in quo creavit materiam; aptitudo iſta, quam privatio quædam conſequeretur, ad quaſcunque formas in materia fuit. & Moſes nihil magis ſignificaviſſet ſcribens „ *Creavit Deus omne virgultum agri* „ quàm ſcribens „ *In principio creavit Deus cœlum & terram* „ quum pro exſerendis plantarum formis jam materiei terræ ineſſet aptitudo. altera verò eſt, quòd non ſolùm præterita, & futura, ſed etiam poſſibilia virgulta tunc produxiſſe Deum, aſſeruiſſet Moſes: etenim ſemel dato, idem eſſe virgulta producere, atque pro iiſdem producendis materiæ aptitudinem dare; conſequens ſit, Deum poſſibilia quoque virgulta tunc temporis produxiſſe, quum pro iis etiam tunc ipſi materiæ ſua ineſſet aptitudo. Porro ne hæc duo abſurdiſſima, aſſeveremus; colligamus oportet, D. P. Auguſtinum haud dubiè docuiſſe, Moſem ſimultaneam rerum omnium, etiam futurarum, creationem enarraviſſe; reſque fu-

turas, quas tunc creatas enarravit, ſuis in cauſſis tunc *potentialiter* contentas fuiſſe. quum autem *potentialiter* illud interſerit, Eundem in ſenſu Peripateticorum fuiſſe loquutum, intelligi nequaquam debet; quin potiùs locus ille cum reliquis Sanctiſſimi Doctoris dictis conferendus eſt, atque exinde intelligere, omnia etiam futura tunc *ſeminale quoddam ac primordiale eſſe in cauſſis ſuis latenter inſertum* accepiſſe; ut deinceps ſuis quæque locis temporibuſque, adminiſtrante Deo, viſibiliter illud exſererent atque eruerent. Sed nolumus iſtæc prolixiùs atque diligentiùs excutere, quippe quæ ad Philoſophos potiùs, quàm ad divinarum ſcripturarum Interpretes pertinere videntur. & cordato Lectori ſatis ſit, percepiſſe, iſtam de rerum omnium origine explanationem Auguſtino placuiſſe, ac proinde ab eodem aſſertam, confirmatam, defenſamque fuiſſe.

VI. Sed enim objicit Eſtius. Etſi multæ plantæ & animalia in terra *potentialiter* ſint, non tamen omnia eodem modo ſunt. neque enim terra & aqua perfectiora animalia, puta Leones, Equos &c. producendi virtutem acceperunt, quæ quidem ex mare & femina, per generationem dumtaxat, ſolet natura producere. Auguſtinum impetit, neque videt, ſe Moſem quoque ipſum impetere. Scribit Moſes, Deum aquis terriſque omnium, etiam perfectorum, animantium productionem præcepiſſe: legimus enim,, *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatilia ſuper terram ſub firmamento cœli*,,. item,, *Producat terra animam viventem in genere ſuo jumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas*,, Hæc ſcribente Moſe, Eſtius ſcribit,, *Neque enim terra & aqua virtutem acceperunt producendi animalia perfectiora*,,. Quid iſtud rei eſt? Si nec aqua, nec terra ea animantia producendi virtutem acceperunt, aut falsò refert Moſes, aut fruſtra dixit Deus,, *Producant aquæ &c. Producat terra &c.*,, Reponimus igitur Eſtio, prima quælibet, etiam perfectiora, animantia, non ex aliis animantibus, ſed ex eorundem quaſi ſeminibus, & primordialibus cauſſis, quas creavit, quaſque elementis

mentis ipſis latenter inſeruit Deus, producta fuiſſe. cetera autem, quæ deinceps genita ſunt, ex mare & femina haud dubiè gigni: veruntamen & ipſa a Deo creata, & in primis ſeminibus latenter inſerta, donec per ſeminum ſemina erumperent, & viſibilia fierent, intelligi debent. Sed proſequitur Eſtius „ *De homine autem id certiſſimum eſt etiam ſecundum ſcripturam, dicente Apoſtolo, quòd Deus ex uno homine fecit omne genus hominum. quia neque de homine dictum eſt, Producat terra hominem, ſicut de Beſtiis, & plantis, ſed corpori ejus ex limo terræ compoſito Deus animam inſpiravit. Itaque ſaltem ad hominem pertinere non poteſt quod Auguſtinus interpretatur, animalia potentialiter fuiſſe in opere ſex dierum* „. Act. 17. Quod ad hominem ſpectat, in lib. 6. de Gen. ad litt. cap. 6. uſque ad poſtremum caput diſertiſſimè Auguſtinus expendit. Eſtius autem, non ſecus atque, quid de homine dicendum ſit, S. Doctor prorſus tacuerit, nimis fidenter aſſeruit, Auguſtini interpretationem ad hominem pertinere non poſſe. Docet igitur S. Pater prælaudato in loco, Moſem ſexto die hominem factum ad imaginem Dei, maſculum & feminam, narraviſſe; ac proinde tunc & animam & corpus humanum a Deo creata fuiſſe debere intelligi: animam quidem, quia dumtaxat in anima Divina fulget imago; corpus autem, quia dumtaxat in corpore ſexuum diſcretio reperitur. Item docet, corpus ita a Deo tunc creatum fuiſſe, ut primordiale & quaſi ſeminale illius eſſe in ſuis cauſſis inſeruerit; quod non proinde, aliquid non fuiſſe, putandum eſt, quia neque infans, nec puerperium fuit. monet autem, ut quicunque hoc non intelligit, credat. Quare adjicimus Eſtio, Auguſtini interpretationem etiam ad hominem ipſum optimè pertinere; etenim in primo creationis exordio homo creatus cùm ſecundùm animam, tùm ſecundùm corpus dicitur: ſecundùm corpus, quia in rationibus ſuis cauſſalibus primordiale illius eſſe completè inchoatum Deus inſeruit; & ſecundùm animam, quia in primordiali illo eſſe animam quoque creavit Deus, quam deinceps in viſibile

corpus

corpus ex limo formatum *inſpiravit*, *inſufflavitque*.

VII. Contra hanc doctrinam, quod objici poterat, ipſemet D. Pater objecit; nimirum, qui fieri potuerit, ut hominem in cauſſis ſuis ſic latenter inſertum, alloquutus ſit Deus, dixeritque „ *Creſcite & multiplicamini* „. Quomodo (inquit S. Doctor) *loquebatur eis, qui nondum audiebant, nec intelligebant* „? Pluribus ſubinde prolatis exemplis, de iis, quos, antequam eſſent, alloquutus eſt Deus; propoſitam ſibi quæſtionem hiſce verbis profundiſſimè exſolvit. „ *Quum verò Deus dicebat, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & habeat poteſtatem piſcium maris & volatilium cœli, & omnium pecorum, & omnis terræ, & omnium repentium quæ repunt ſuper terram: & ecce dedi vobis omne pabulum ſeminale, ſeminans ſemen quod eſt ſuper omnem terram, & omne lignum fructiferum quod habet in ſe fructum ſeminis ſeminalis, quod erit vobis ad eſcam: ipſe ſermo ejus ante omnem aeris ſonum, ante omnem carnis & nubis vocem, in illa ſumma ejus ſapientia, per quam facta ſunt omnia, non quaſi humanis auribus inſtrepebat, ſed rebus factis rerum faciendarum cauſſas inſerebat: & omnipotenti potentia futura faciebat, hominemque ſuo tempore formandum, in temporum tanquam ſemine, vel tanquam radice condebat, quando condebat omne, unde inciperent ſæcula, ab illo condita, qui eſt ante ſæcula* „.

Lib. 6. De Geneſ. ad litter. cap. 8.

VIII. Dicent hìc adverſarii. Si eo pacto Deus creavit omnia ſimul, ut etiam futura omnia in primo temporis momento creaverit; fit haud dubiè conſequens, omnes futuros homines, omneſque eorundem futuras animas, quas ad tempus creari Catholica tenet Eccleſia, tunc temporis a Deo creatas fuiſſe. Falſa eſt igitur Auguſtiniana de rerum creatione ſententia, præcipuumque, quo nititur, fundamentum corruit, labiturque. Quis enim comminiſci ullo jure queat, omnia omnino in opere ſex dierum creaviſſe Deum, quandoquidem die ſeptimo complevit conſummavitque omne opus ſuum; ſi etiamnum novas in dies creaturas condit, ſi etiamnum humanas animas creat? Hoc argumento

gumento adverſarii non impetunt Auguſtini ſententiam, ſed tentant Auguſtini diſcipulos. tentant, inquam, num religioni ſit nobis aſſerere, etiam hominum animas in exordio mundi a Deo fuiſſe creatas, & inſtaurare Origeniſtarum errorem, in quos Leo Magnus in Epiſtola ad Turibium edixit „ *Catholica Fides conſtanter prædicat atque veraciter, quòd animæ hominum, priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuere, nec ab ullo incorporentur, niſi ab opifice Deo, qui ipſarum eſt Creator, & corporum* „. Tentant item nos, num facili animo ſimus, ut ex Adæ anima, veluti ex traduce quodam omnes poſterorum animas erupiſſe, credamus; aſſentiamurque Tertullianiſtarum doctrinæ, quam omnino reprobat & improbat Auguſtinus. „ *Nam & illi* (ſcribit S. Doctor) *qui animas ex una propagari aſſerunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, ſi Tertulliani opinionem ſequuntur, profectò eas non ſpiritus, ſed corpora eſſe contendunt, & corpulentis ſeminibus exoriri; quo perverſius quid dici poteſt* „? Sed nos fruſtra tentant, rejectis enim Hæreticorum erroribus, ex Auguſtini mente aſſerimus, in primo rerum exordio futuros etiam homines cum primo homine a Deo fuiſse creatos; propterea legi, Deum dixiſse Job „ *Ecce Behemot, quem feci tecum* „ hoc eſt, vel dæmonem, vel elephantem, non ſimul cum Ada, ſed ſimul cum Job, cui loquebatur, creatum fuiſse. Quum autem dicimus, futuros etiam homines tunc temporis creatos fuiſse; ita dicimus, ut primordiale illud, & quaſi ſeminale eorundem eſse in primo homine inſertum fuiſse intelligatur, ut deinceps per volumina ſæculorum, quaſi ſemen ex ſemine, homo ex homine, quod tamen ad corpus pertinet, propagaretur; in quod ſuo loco, ac tempore, ſic organicis ipſius affectionibus exigentibus, anima a Deo creata inſpiraretur, idque non creatæ ullius diſpoſitionis vi, ſed ex Divinæ voluntatis imperio, quæ in primis illis omnium creaturarum primordiis tot animas in tot corpora, in iis temporum locorumve circumſtan-

In Epiſt. ad Turib. cap. 10.

Epiſ. 157. ad Optat.

ſtantiis, decrevit inducere. Itaque temporanea animarum creatio, tametſi Dei creatoris ſit opus, dicenda eſt etiam opus Dei adminiſtratoris; quoniam eas creat Deus juxta voluntatem illam ſuam, qua ab incunabulis mundi ſic creare diſpoſuit: quapropter, ſi ſtrictiori ſermone loqui velimus, etiam quod ad animas attinet, verum eſt, Deum ſexto die creationis opus compleviſſe, ac deinceps ea dumtaxat, quæ creaverat, adminiſtrando operari. Neque enim mirari quiſquam debet, tot inter creaturas, quas unico momento creavit Deus, hominis animam ſublimi quopiam Creatoris conſilio exceptam fuiſſe; „*quæ, quum ſit ſpiritus, non ex primordialibus ſeminalibuſque cauſſis, atque rationibus, ſed ex nihilo producenda eſt*„. Rurſum opponunt, herbas plantaſque tertio die potentialiter dumtaxat ac cauſſaliter productas dici nequaquam poſſe; quippe legitur, „*Protulit terra herbam virentem*„ Veruntamen hoc ſanè illis opponant, qui potentialiter cauſſaliterque produci, materiatam quamdam ad recipiendas formas aptitudinem eſſe putant; non autem iis, qui unà cum Auguſtino defendunt, plantas & herbas cauſſaliter etiam, atque potentialiter productas fuiſſe, quantum ad primordiale & ſeminale eorundem eſſe in elementis terræ latenter inſertum. Sique a nobis exquirant, quì poſſit intelligi, terram protuliſſe plantas, quas latenter in ſeipſa continebat, reſpondemus, quamlibet rem fuiſſe ab elementis duplici ratione prolatam, primùm quod ad primordiale, & ſeminale eſse in elementis latenter inſertum, deinde quod ad completum & aſpectabile eſſe ſuum extra cauſſas viſibiliter conſtitutum. Dicimus ergo, Deum ipſum, qui cœlum terramque creavit, herbas etiam & plantas ex nihilo creaviſſe; priùs tamen, in primo creationis momento, antequam orirentur in terra, eaſdem in ſuis cauſſis inſeruiſſe; ut deinceps, aliqua abſoluta temporis mora, in aſpectabiles & conſpicuas formas erumperent. quorum alterum ad Divinum illud opificium pertinet, quo Deus creavit omnia ſimul; alterum ad illud, quo Deus

etiam

etiam nunc operatur. Sed enim objicient, Moſem eo modo, quo de ſole & aſtris & animantibus, de herbis item ac plantis loquutum fuiſſe. Solem autem, aſtra, & animantia ab initio ſuæ creationis, non viſibiliter & latenter in cauſſis, ſed viſibiliter & extra cauſſas, producta fuiſſe, nemo unus eſt, qui dubitet. Et quidem ſol, ſtatim atque creatus fuit, enituit; enitere autem non potuiſſet, ſi ulla in cauſſa latuiſſet. Quod ad aſtra & luminaria pertinet, jam ſupra ſatis, quantum arbitror, ediſſeruimus: nimirum de iis longè aliam a ceteris diſcretam narrationem habuiſſe Moſem.quippe non ſcripſit, dixiſſe Deum: Producat cœlum luminaria, producat cœlum ſtellas; ut exinde conjiceremus, luminaria & ſtellas priùs fuiſſe creata latenter in cœlis, deinde viſibiliter in ſeipſis. Quod verò ad animalia, item diximus, ea omnia, non ſecus atque hominem, & plantas, & herbas, primùm, quantùm ad primordiale & quaſi ſeminale eorundem eſſe latenter in rationibus ſuis cauſſalibus; tùm, quantùm ad aſpectabilem viſibilemque formam extra cauſſas, producta fuiſſe. Porro, ne agamus, hìc rurſum, quæ ſemel acta ſunt, ea conſulere, lectorem ſolertiſſimum humaniſſimumque, impensè rogamus.

SUMMA
TOTIUS
DISSERTATIONIS.

Rerum omnium Conditor & Adminiſtrator, Deus,, *Qui vivit in æternum*,, ſicut omnia ſimul in æternitate poſſedit, ita in tempore *creavit omnia ſimul*. *In principio*, hoc eſt in primo temporis momento conſubſtantiali Verbo ſuo *dixit*, & *mandavit*; & dicens, ac mandas *creavit*, hoc eſt ex nihilo produxit *Cœlum & Terram*, ſpiritualem nimirum naturam atque corpoream, angelos, & elementa, ignem, aerem, aquam, atque aridam, quæ tanquam infima elementorum generali quadam nomenclatura appellata eſt terra. Ex elementis, veluti ex communi materie eodem momento cetera omnia, quæ in Univerſo ſunt, vel formavit tantùm, vel *formavit produxitque* ſimul. Ex igne, aere, & aqua, ſecretis diſpoſitiſque purioribus ac ſubtilioribus eorundem partibus, cœlos, luminaria, & aſtra condidit. Et, quoniam nec elementis aut cœlos, aut luminaria, aut aſtra dederat *producendi* virtutem; neque aſtris ipſis, neque luminaribus, neque cœlis *creſcendi*, *multiplicandive* facultatem dederat; ea omnia, in ſuo quælibet numero, magnitudine, perfectione, virtute, atque proprietatibus ex elementis *formavit*. Ex quibus itidem, & præſertim ex aqua & terra eodem prorſus momento non modò *formavit*, verùm etiam *produxit* plantas, animantia, & homines, una dumtaxat intellectiva anima excepta, quam

quam non ex elemento ullo, ſed ex nihilo fecit; purus enim & ſimplex eſt illa ſpiritus, tametſi corpori deſtinatus. Et, quia non ſolùm aquis, terræque *producendi*, ſed etiam plantis animantibus, hominibuſque, *creſcendi multiplicandique* virtutem præſtitit, ea omnia, ſecundùm *primordiale* & *quaſi ſeminale* eorundem *eſſe* in elementis ipſis latenter produxit,ut exinde per inditam illam a Deo virtutem in propria aſpectabili forma „ *orirentur ſuper terram* „. *creſcerent*, ut ipſorum explicaretur magnitudo, *multiplicarentur*, ut ipſorum patefieret numerus. Hiſce omnibus a Deo, unico momento, vel *creatis* ex nihilo, vel ex elementis *formatis* „ *requievit ab omni opere* „ Deus, id eſt, nihil aliud, vel *creavit* ex nihilo, vel ex elementis *formavit*. Totum id Divinus Propheta Moſes in primo Geneſeos capite diſertis verbis expoſuit; quumque cùm ſapientes,tùm inſipientes Idem alloqueretur, nonnulla interſeruit, ex quibus ſapientes cum ſapientiſſimo Auguſtino excipere potuiſſent,Deum omnia ſimul unico temporis momento creaviſſe. Ceterùm hiſtoricam ſuam narrationem ita contexuit, ut ab rudi etiam Ebræorum captu facilè comprehendi poſſet; propterea quæ diverſis angelorum cognitionibus erant diſtinguenda, diverſis temporum diebus diſtinxit, Mane vocans claram operis cognitionem in Verbo Dei, Veſperam dicens obſcuram operis cognitionem in rebus ipſis.

Quum creationis opus compleviſſet Deus, adhuc operari non deſtitit, non quidem uti rerum Creator, ſed uti earundem Adminiſtrator; ſicut etiamnum, ea ipſa, quæ ſimul unico momento creavit, vel conſervans, vel adjuvans, vel regens, operatur. At enim in exordio mundi, tametſi poſt completum creationis opus actu dumtaxat adminiſtratorio operatus ſit Deus; præcipuo tamen modo operatus eſt *adhuc*, ut plantæ, viventia, & homines breviſſimo dierum ſpatio ad integrum ſtatum pervenirent, quæ secùs ſub generali illa adminiſtratione plurium annorum curſum, ut eo pacto eruerentur in lucem, exegiſſent: atque hoc ſum-

mi Adminiſtratoris opus in altero Geneſeos capite recenſuit Moſes. Porro, ne in illis mundi primordiis deſerta atque inhoſpita terra eſſet diu „ *Formavit Deus hominem de limo terræ* „ hoc eſt hominem ipſum, quem latenter creaverat in cauſſis ſuis, in aſpectabilem perfectamque formam continuò eduxit, eundemque in Paradiſo voluptatis, quem „ *plantaverat a principio* „ collocavit. Quum autem in eum voluptatis locum, quemadmodum & in univerſam terram, non adhuc pluviæ caderent, quibus fœcundaretur, nec homo eſſet, qui operaretur in ipſo, nulla herba, nullum virgultum, & lignum nullum ortum eſſet ſuper terram; Deus ipſe, ut Adam, & quos ederet, haberet; & a quibus temperaret, videret fructus „ *Ejecit adhuc de terra omne lignum pulchrum ad aſpectum* „ Deinde, quum cognoviſſet bonum non eſſe „ *hominem eſſe ſolum* „ animantia omnia, quæ etiam latitabant in cauſſis ſuis „ *finxit adhuc* „ hoc eſt ea ad conſpicuam viſibilemque formam, figuramque, atque integrum ſtatum exſeruit „ *& duxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea* „ Adam autem ut cunctis animantibus nomen impoſuit, quia ex illis „ *non inveniebatur adjutor ſimilis ejus* „ in mulierem Adæ coſtam Deus edificavit, id eſt, mulierem, quæ in cauſſis ſuis latitabat ad viſibilem formam eduxit, eandemque Adæ in ſociam uxoremque dedit, *ut duo eſſent in carne una:* & tunc rerum omnium adminiſtrator Deus præcipuæ illius adminiſtrationis opus complevit. & jam tum non ultra ſuper terram cum eo integro naturæ ſtatu, non beneficio temporis, ſed Creatoris ope, ſed breviſſima mora, vel ſunt ortæ plantæ, vel ſunt nata animantia, vel ſunt homines geniti; iis tamen operibus dumtaxat exceptis, in quibus pro gloria ſua naturæ vires exſuperavit Deus. Si autem exquiratur a nobis, quanta demum temporis mora hæc omnia Adminiſtrator rerum omnium compleverit; reponimus, hoc, quum Divina ſcriptura prorſus reticeat, abditum eſſe. unum tamen certum exploratumque eſt, nimirum aliquod interfuiſſe tempus: nam ſi inter

ea,

ea, quæ facta recenſentur, multa ſunt opera Dei, quæ fieri unico momento potuiſſent; multa quoque ſunt creaturarum, hominiſque præſertim opera, quæ nonniſi longo temporum intervallo fieri potuerunt. Quòd ſi qua de ea temporis mora ratio ineunda eſſet, ſalvo ſemper meliori judicio, dicimus, probabile eſſe, integrum Dei opus præcipuæ adminiſtrationis, nimirum plantarum, animantium, & hominum formationem, in unius hebdomadæ ſpatio fuiſse completum; ita tamen, ut ſicuti Deus ſeptimo die tropico & ſpirituali creationis opus complevit, ita etiam die ſeptimo proprio atque corporeo, præcipuum adminiſtrationis opus compleverit. Hæc ſententia ex ipſa Moſis hiſtoria confirmari poſſe videtur: legimus enim,, *Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat; & requievit Deus die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat. Et benedixit diei ſeptimo: & ſanctificavit illum: quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo, quod creavit Deus ut faceret.*,, ubi in vulgata legimus,, *complevitque Deus die ſeptimo*,, ſeptuaginta legunt,, *Et conſummavit Deus die ſexto*,, Utrobique Veritas loquitur, & diverſa loquens, Auguſtini ſententiam mirificè comprobat; etenim eo loquutionis genere, illos ſeptem dies unicum fuiſſe diem, atque iccirco ſextum fuiſſe ſeptimum, ſeptimum quinctum, atque item reliquos, non obſcurè ſignificat. Quum autem in noſtra Vulgata legimus,, *Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum*,, & ſubinde,, *Requievit Deus die ſeptimo*,, duplex nobis dies ſeptimus indicatur, videlicet, & tropicus, in quo Deus omne creationis opus complevit; & naturalis, in quo ab omni, etiam ſpecialis adminiſtrationis opere, requievit. Quod magis quoque corroborari poſſe videtur ex poſtremis illis verbis,, *Ceſſaverat ab omni opere ſuo, quod Deus creavit, ut faceret*,. Mira ſanè perſpicuitate Auguſtini Mentem hæc verba præſeferunt, ediſſeruntque: plantæ enim, animantia, & homines, quæ Deus, utì Creator, latenter in cauſſis ſuis creavit ex nihilo, ut adhuc, utì Adminiſtrator, in aſpectabilem & viſibilem figuram educeret,

Gen. ca 2. v. 2.

ceret, apertiſſimè dicuntur Opus „ *quod Deus creavit, ut faceret* „. Idque diſertè magis eruitur, ſi cum Septuaginta legamus „ *Quia illa die requievit ab omnibus operibus ſuis, quæ incboavit Deus facere* „. Ubi in vulgata legimus „ *Quod creavit, ut faceret* „ legimus in Septuaginta „ *quæ incboavit facere* „ Porro illud idem quod *incboavit, fecit ut faceret*. Ex iis verò, quis adeo hebes & tardus non percipit, plantas, animantia & homines, jam tum in cauſſis ſuis latenter producta, eadem omnino eſſe, quæ Deus *incboavit facere*, quæ Deus *creavit ut faceret?* Probè autem exinde colligi poteſt, ab opere iſto quod inchoavit, ab iſto opere quod creavit, ut faceret, Deum ſeptimo naturali die requieviſſe, quando jam in propria & aſpectabili forma atque figura & virum, & plantas, & animantia, & mulierem uti præcipuus adminiſtrator formaverat. Et quia ſeptimum hunc diem, in quo ceſſavit ab opere, ſanctificavit & benedixit Deus, dici etiam, & minimè ineptè poteſt, duplici ex cauſſa Moſem ſeptimi diei ſanctificationem Judæis Dei nomine præcepiſſe, & quia Deus ſeptimo die tropico ob omni creationis opere ceſſavit; & quia Deus ſeptimo naturali die ceſſavit ab omni opere præcipuæ adminiſtrationis. quibus etiam adjicimus, duplicem naturalem diem a Deo ſanctificatum fuiſſe, nimirum & Dominicum, & Sabbaticum diem: ſanctificatus fuit Dominicus dies, quia in Dominici diei exordio Deus univerſum creavit, operique in ipſo completo benedixit; eaque benedictio, utpote quæ in Dominico die data fuit, ipſum quoque diem Dominicum ſanctificavit. Idque fortaſſis in cauſſa fuit, ut uterque dies ſanctificandus ediceretur hominibus; Chriſtianis Dominicus, & Judæis Sabbaticus dies. Chriſtianis quidem Dominicus, in quo Deus Creator requievit, poſtquam mundum produxit ex nihilo; & Deus redemtor ſurrexit poſtquam mundum a peccato redemit. Judæis autem Sabbaticus, in quo Deus creator, edificata ex Adæ coſta cunctorum matre Eva, ab opere ceſſavit in Paradiſo; & in quo Deus redemtor, educta

cta ex latere Chriſti Fidelium matre Eccleſia, integram quietem habuit in ſepulcro. Hiſce autem obiter dumtaxat dictis, concludimus, Deum primo temporis momento, unà cum ipſo tempore omnia ſimul creaviſſe: eaque omnia, quæ creavit ſimul, uti eorundem Adminiſtrator, pro vice temporum conſervaſſe, rexiſſe, multiplicaviſſe, vel ſpeciali adminiſtratione, veluti in mundi primordiis; vel generali, veluti in ejuſdem mundi progreſſu. Duplicis hujus Divini operis, ſcilicet creationis, & adminiſtrationis, Moſes conſcripſit hiſtoriam. quæ ad prius opus pertinent, diverſis diebus diſtinguit, qui tantùm ſpirituales ſunt dies; quæ autem ad poſterius, diverſis temporum morulis, quæ tamen naturales ſunt atque corporeæ. Interim ſi quis vel primi, vel alterius, vel utriuſque operis potis non eſt intelligere, ſecundùm Auguſtini doctrinam, hiſtoriam „ *Capiat quod poteſt, in quantum poteſt: & qui non poteſt, nutriat cor, ut poſſit.* *Aug. in Joann. Tract. 1.*

FINIS.

E R-

ERRATA	*ſic*	*CORRIGE*
Pag. 5. lin. 9. obſtrudere		obtrudere
Pag. 6. lin. 4. V.		VI.
Pag. 14. lin. ult. narrantur		narrantur
Pag. 22. lin. 22. peſpicuitate		perſpicuitate
Pag. 28. lin. 5. antiquas		antiquæ
Ibid. lin. 14. aquas		aquis
Pag. 72. lin. 24. nunniſi		nonniſi

Cetera agnoſcet, & ignoſcet Lector.

Digitized by Google

Digitized by Google